TRACTATVS
DE REPVLSA
ET REPVLSA REPVLSAE
IN DVAS PARTES DISTINCTI

Prima Pars,

IN CONSIDERATIONES SEX METHODICE DISTINCTA,

COMMVNIS, REGNIQVAE IVRIS, CIRCA dijudicandos testes multiplicem praxim omnibus in Pontificio, Caesareoq; foro versantibus vtilissimam complectens.

AC PRAESERTIM DE REPROBATIONE TESTIVM, QVAE A IVDICE PRO eius officio fit, dum agit, quae ante, quae in ipso depositionis actu;

QVAEQ; TANDEM CIRCA SCRIPTAS ATTESTATIONES A IVDICIBVS, AD testis inquisitionem, discutienda sint, ordine pandit, ac quàm à caeteris appositius.

NVNC DENVO RECOGNITA, ET EXCVSSA.

AVCTORE IVLIO CAESARE IMBRIANO CAMPANO IVRISCONSVLTO.

ADIECTO PRAETEREA AD EAM, TVM VERBORVM, CVM sententiarum Indice, ordine alphabetico digesto, ipsoque locupletissimo.



NEAPOLI, Ex Typographia Ioannis Iacobi Carlini. M.DC.XI.

Expensis Joan: Baptista Cimmini Bibliopola Neapolitani.

PERILLVSTRI VIRO D.
DON PETRO
DE CASTELLET
REGIO A LATERE
CONSILIARIO.

ET REGIAM CANCELLARIAM
Regenti dignissimo in hoc Regno Neapolitano, patronoq; suo perpetuo salutem.

Iulius Cæsar Imbrianus I. V. D. C.

EXARSIT *semper tui memoria præmollitum cor meum (Vir perillustris) vbi innumera in me tanto cũ animi affectu ab inenarrabili benignitate tua collata beneficia, quòd sæpissimè contigit, rubore itẽ externo perfusus repeterem; dum quasi in remotissimis abditus regionibus nullam grati officij partem tecum, vel etiam simplici aliqua salutatione persoluerim. Sed certè & si vitio, ex ipsa facti narratione idipsum mihi dari oporteat; longè tamen à me illud abfuisse non est, quòd facilè monstrare non possim, et præsertim apud Te; qui tua singulari bonitate, humanitateq; effusè protenta, omnes ad Te vndecumq; venientes excipere soles, hilaresq; plurimis stipatos fauoribus comiter dimittis. Humana nimis aspera mihi effecta conditiones ab ipsa parentis mei, et tui item ser-*

ui morte ad hæc ipsa vsq; tempora id effecèrunt, & cinerum instar ardorem gratitudinis meæ obrutum retinuerunt, ac veluti in seruitute constrictum, quominus ad debita officia implenda prodiret, impedimentum præstitère. Hodie, Dei clementia cum primùm eas excuti datum est, tanquam postliminio excitatum, ardoreq; mutui amoris exuberans illud Tibi patrono optimo præsento, do, ac dedico; licet interiectis temporibus numquam à nominis tui cultu, et boni ominis precatione desciuerim; atq; ita verum est, quòd si corpore debita munia persoluere destiterim; non tamen perpetuò deuinctus tibi virtute animus à tui amore abesse pertulit. Decuit ergò tantorum temporum vsuram resarcire; ac propterea, cum hac primùm editione de reprobandis testibus multa, sed cõcluso sermone, angustijs interdum quiescentibus, exarauerim, elaborataq; tractationi defensorẽ præficere omni virtute præstantẽ opus esset; ad Tuam amplissimam, atq; in omnibus præstantissimam tutelam, vno actu vtrunq; præstaturus decurrendum duxi operæ pretium. Quarè, & seruum tuum iterum inter tuos agnoscas, ac simul editionem hanc meã indefeßo amoris tui clypeo, quo inter huius nostræ tempestatis Moecenates longè emicas, aduersus insurgentes, liuoreq; erumpentes zoilos tuearis. Et dum aliud me acturum, nempè de tuis laudibus, non putauerim; quarum orbis spectator, & obseruator est assiduus, Te benè valere, vtq; in mei amorem animo consurgas, atq; defendas perpetuò rogo. Vale.

IMBRIANVS AVCTOR LECTORI CANDIDO.

TRACTATIONES; quibus,tanquã in diuerticulis,examinandorum, aut iam examinatorum in iudicijs testium nomenclaturam iudicibus, ad veritatis inuentionem produnt; maximo ad tuendam Rem publicam semper adiumento cessisse planè constat. Nã si iustitia orbis ipse regitur vniuersus,cũ ex statuto iure recta à magistratibus iudicia, iustitiæ actus edũtur; necessariò factorum inquisitionem præcedat, necesse est; ex qua nimirum iura alioquin ex factis excipienda aptari, construi, & dici possint. Sed quia facta ipsa pro humanis conditionibus multiplicia sint, atq; indè inuentu difficillia; euenit, vt inter cætera magistratuum munia,principẽ locum factorum ipsa digestio, vndè veritas, vel solũ iustitiæ fundamentum splendesceret in lucem, obtinuerit; atq; ad id referri posse Iustiniani perlatam ad iustitiam definitionem quandoq; interpretati fuimus; dũ eam perpetuam voluntatem ius suum cuiq; tribuendi edixit; quia nempè veritatem in suis actibus contineret; ex qua iudiciorum æternitas facilè, absoluteq; consurgeret. Non ergò eiusmodi ad id ipsum ordinati, & si post alios multos, & magni sanè nominis iurisconsultos, nostri labores respuendi, aut negligendi erunt; exhibent enim ad manus breuibus, distinctisq; considerationibus,non solum ex communi,sed etiam particulari, licet communi item regni iure, dijudicandorum testium tripliciter extructam facultatem. Et maximè quia si alij locos reprobationum notarunt, alij construendarum earundem theoricam; nos præmissa breuitate, splendentissimaq; distinctione rem omnem,vt facilè sit ad cætera inferre, complexi sumus. Eam tandem reprobationem, quæ pro iuris publici conseruatione à ius dicente haberi oportet; ita enixè,explicateq; eidem repræsentauimus, vt veluti proposito in speculo, & exemplari expeditius ad veritatis inuestigationẽ,iusta iudicia intueri, & iustitiam ipsam in omnibus conseruare possit; quarè meritò quisq; boni consulens hos nostros labores commendatissimos, qualescumq; sint, habere possit, ac debeat. Valete.

IN LAVDEM SVBIECTI OPERIS Clarissimi Iurisconsulti Iulij Cæsaris Imbriani Capuani.

PAVLI PORTARELLI EPIG.

VRBIS Campanæ, Campanæ gloria gentis.
Et legum, Juli Cæsar honosq; togæ,
Quæ scribis calamo iuris monumenta diserto,
Aetas hæc hilari postera fronte leget.
Cui venerandus eris, velut alter Scæuola, & alter
Ore Modestinus, iudicioq; grauis.
Te Capua, vt Roma fuit æmula, semper habebit,
Teq; colet, magnum sicut & illa Numam.
Vulturnusq; pater cinctus viridante corona,
Jn vitreis semper te resonabit aquis.

D. ANDREAE TARTALEONIS MARTENIENSIS AD LECTOREM CARMEN Asclepiadeum.

NON Quisquis meritò Judice territus
Es, Lector, sceleris purus, & integer
Vitæ dum fueris, teq; tuerier
Certas, quòd geminis dignus honoribus;
Hoc Juli eximio scripta volumine
Facundi relegas aurea dogmata,
Non laudat sapiens Bartolus omnia?
En testes reprobat protinus improbos,
Ditis tartarei, ac Eumenidum genus:
Quid mirum? Capuæ gloria gentium,
Præstat causidicos Cæsar, & optimos
Ticino genitos, Pallade virgine
Seu, quos vel peperit Parthenope. Vale. *Finis.*

Vniuer-

VNIVERSI TRACTATVS huius primæ partis ratio in has ſex ſubiectas conſiderationes diſtincta eſt.

Conſideratio prima.

REpulſa quid ſit, cur inuenta quotuplex ſit, ac de eius dilationum natura, & tempore multa non inſcito ordine conſiderantur.

Conſideratio ſecunda.

REpulſa quibus in vniuerſum concedenda; vel neganda ſit; ac contra quos, deq; vſu eius continendo, nè per calumniam petatur; ac de calumniantium pœnis accuratè diſſeritur.

Conſideratio tertia.

QVibus in cauſis reprobationi non pateat locus, ac ſimul de multiplici Repulſæ effectu, & poteſtate, non inconcinnè ſubijcitur.

Conſideratio quarta.

REpulſa quibus ex locis, aut ſedibus principaliter ab Agentibus ad eam partibus legitimè deducatur, ac concludatur, non obſcura ſerie ſtudioſo ſuggeritur.

Conſideratio quinta.

QVemadmodum ex ipſis met teſtibus productis, ſtudioſa alterius partis interrogatoriorum propoſitione, repulſa deſcendat; quo ipſa ordine, quouè iure regatur, vniuerſa cum interrogatoriorum ſtructura, ſatis induſtriè perfertur.

Conſideratio ſeſta.

TAndem vti ex tractata ſæpius lege, ratione petita, abſolutè ab ipſo iudicante, pro eius officio repulſa excipiatur, ac fiat; pro coronide ſummatim, atque methodicè deducitur.

NO-

NOTABILIORES ERRORES, QVOS EX IPSO PRONVNCIATIONIS actu supplere non posſis, veniam dando, queſo ita corrigas, & maximè, quia in quatuor ſubiectis locis deſunt verba, & plura commata, non aptis locis inſerta.

CONSIDERATIONE I.

num. 8. cunſiderando, conſiderando.
num. 38. cum enim, cum M.
num. 52. Crauett. Grauat.
num. 100. in capitalium, in caſu capitalium,
num. 105. fabricari potuerunt, fabricari poterunt.
num. 147. periurius, periurus.
num. 150. optiori, aptiori.
num. 164. Ebolita: deprehenſus eſt. Ebolita: reprobare deprehenſus eſt.

CONSIDERATIONE II.

num. 74. ſimui, ſimul.
num. 119. conſid. 8. conſid. 5.
num. 135. conſequenter, & conſequenter.
num. 139. quemque, quemquam.
num. 161. aſſertæ confeſsiones. aſſertæ confeſsionis.

CONSIDERATIONE III.

num. 8. an reprobationes, an reprobationi.
num. 26. alias 32. de contractibus, alias 23.
num. 79. ergò ab ea vti, ergò ab ea abſtinendum, vti.
num. 99. quod cum, quod eum.
num. 107. publicatione, publicatione facta.
num. 109. ſine dubio, qui reprobati, ſine dubio minus digni, qui reprobati.

CONSIDERATIONE IIII.

num. 42. vbi Bolognius, vbi Bologninus.
num. 137. ipſum rem, ipſam rem.
num. 147. aut eorum termino, aut earum termino.
ſub num. 151. mulerculæ, mulierculæ.
ibidem inſinuebat, inſinuabat.
num. 155. §. ius maior, §. vis maior.
num. 162. limitaris, limitabis.
num. 169. dicti tempori, dicti temporis.
num. 198. conclobo concluſio.

CONSIDERATIONE V.

num. 16. & nulla, & ſi nulla.
num. 19. ſubſtantiblia, ſubſtantialia.
num. 26. pro concludent ratione, pro concludenti.
num. 74. quod ſi in vno, quid ſi in vno.

CONSIDERATIONE VI.

num. 20. neque robore, neque rubore,
num. 64. ſic omittendum, hic omittendum.
num. 67. in re teſtificanda, ætate: in re teſtificanda, ætatis.
num. 96. an depoſiti, an depoſitio.
ibidem. omnibuſda, omnimoda.
num. 135. inoidiſſe, incidiſſe.
ſub num. 165. defineretur, definiretur.
ſub num. 168. pecunia, pecuniam.

DE

DE REPVLSA, ET REPVLSA REPVLSÆ, primæ partis, considerationis primæ.

RERVM SVMMAE.

45 *Ex*

45 *Ex partis absẽtia, omissa protestatio per sonarum reprobationem nõ excludit.*

46 *Absentes, ex defectu protestationis testes approbare non intelliguntur.*

47 *Impeditus facto iudicis protestationem emittere, ad repulsam admitti debet.*

48 *Itẽ, vbi post publicationẽ testiũ crimina, & deffectus ad notitiã venerint.*

49 *Nouiter peruenisse, medio iuramento, quis docere potest.*

50 *Periurus ad ita iurandum admittẽdus non est.*

51 *Quoad repulsam ex lege faciendam, vel quoad dicta, tale iuramentum non exigitur.*

52 *Exceptioni in alterius odiũ introducta per partes renunciari non potest.*

53 *Protestatio etiã quoad repulsam repulsæ obtinẽdã exigitur, & quãdo faciẽda.*

54 *Ad faciendas protestationes nõ debent esse faciles procuratores.*

55 *Protestatio adimit fidẽ testi etiã contra protestantẽ, & illi suppletoriũ aufert.*

56 *Dicta cõclusio sub distinctione recipitur.*

57 *Protestans se contra testes, & reprobatio nẽ prosequens, nõ iuuatur eorũ dictis.*

58 *Non prosequens eã specificè propositã nec etiam eorum iuuatur depositionibus.*

59 *Generaliter se protestans cõtra testes, & non prosequens, vbi honestæ personæ sint, eorum dictis iuuari potest.*

60 *Quod si nõ sint honestæ personæ, adiuuari non poterit, & cur.*

61 *Testes, in quos protestatio emissa est, semiplenam non faciunt, sed talem qualem præsumptionem.*

62 *Testis, in quem protestatio emissa est, ad suppletorium non proficit.*

63 *Ad fugandum protestationis malum salutari illa clausula vtendum, quatenus contra.*

64 *Testes pro parte approbari, & pro parte reprobari possunt, quo ad personas tamen. secus quoad dicta.*

65 *Duo testes quoad personas per duos alios reprobari possunt, sed quoad dicta quatuor requiruntur.*

66 *In dictorum reprobatione testes debẽt, & numero, & qualitate reprobandos excedere.*

67 *Testis à parte productus amplius reprobari non potest, & cur.*

68 *Quæ conclusio quoad personas intelligenda est, non autem quoad dicta.*

69 *Errores in prima instantia commissi possunt in. 2. reparari.*

70 *Repulsa omissa in prima instantia reparatur in 2. quoad dicta, secus quoad personas.*

71 *Repulsæ vti, & beneficia, peti debent, & cur.*

72 *Petita Repulsæ omninò concedi debent, alias appellari potest, & cur.*

73 *Etiam iudex, cui liberum est arbitriũ in procedẽdo, repulsam decernere debet.*

74 *Repulsæ in quibus casibus negari possint, remissiuè.*

75 *Confessus ex tortura illata, per iudicem sibi negata repulsa, releuari potest.*

76 *Vbi ex capite inimicitiarum capitaliũ, testes fuisset reprobaturus, & cur.*

77 *Quoad dilationes, Repulsæ cum beneficijs conueniunt.*

78 *In prorogationibus verò diffident.*

79 *In repulsarum dilationibus de momento ad momentum tẽpora cõputantur.*

80 *Testes in repulsis examinandi infra terminum omnino examinari debent.*

81 *In alijs dilationibus satis erat, si in termino citati fuissent, & iurassent.*

82 *Hodie, ex recepta praxi, etiam citati, tantum post terminũ examinantur.*

83 *Hodiè pariter vsque ad publicationẽ, & in eius termino testes recipiuntur.*

84 *Quoad dictorum reprobationem, etiã termino elapso, testes examinari possũt.*

85 *Examinari licet non possint testes post terminum, articuli tamen obscuri declarantur.*

86 *Ex iusto impedimento, etiam quoad personas, post terminum examinari testes possunt.*

87 *Testium renitẽtia in dictorũ reprobatione prodest, secus in personarũ altera.*

88 *Testes renitentes ad deponendum contra testium personas cõpelli non possunt.*

89 *In beneficijs testes benè compelluntur.*

90 *Post termini lapsũ nec ipsa repulsa peti amplius potest à maioritate rationis.*

91 *Testium reprobationes regulariter post publi-*

143 *Te-*

DE

DE REPVLSA.

ET REPVLSA REPVLSAE PRIMAE PARTIS

CONSIDERATIO PRIMA.

REPVLSA QVID SIT, CVR INVENTA, QVOTVPLEX SIT, ac de eius dilationum natura, & tempore multa non inscito ordine considerantur.

PASSIM apud omnes vulgare est, vsquequaq; neminem se ipsum noscere didicisse, nisi qui singulari Dei Optimi Maximi beneficio è terrenis hisce, q.bus æquè conspergimur, ad cœlestium contemplationem euocari promeruerunt. Quorum sanè paucos admodum circumferri, non est quod summo poetarum Maroni inficias ire valeamus, Dum AEneidos 6. ita loquentem Sybillam inducit. *Pauci quos aquus amauit Iuppiter, aut ardens euexit ad athera virtus*; de qua vbi nos quærere oporteat, summam illã, ac omnium aliarum matrem iustitiam esse enunciabimus, quàm peræq; intus, forisq; ius suum cuiq; tribuere, velq; vno adiutam, vt si veritatem dixeris, in cunctis sua obire munia, non est qui eruditione, vel mediocri pollens ignoret, vt indè communis farinæ alios ab ea seiunctos teterrimum illud inuasisse compertũ sit; quod propriarum ipsi passionum nulla cohibitione frenatis fluctibus fatigati virtutẽ omnem interimere, ac in pessum adducere non sint veriti; dum bonorum omnium matrem, ac virtutum viaticum, veritatẽ nempè, maledictis plurimis perdere, vel fortiter studuerunt. Factum sanè in gentibus vniuersis vti maximè corruptionis, ita plurimum exitiale; quippe cũ ex eo alia plura inter hominum factiones inoleuisse infortunia longè, lateq; cõstiterit; vt publica bella, priuatas discordias, & ex his veluti hydris, dolos, fraudes, publicorum conuentuum confusiones, & si quæ cætera sunt; quæ Deus disperdat contra humani generis adeò conducibilẽ societatem comperta venena. Quò tamẽ in dies hominum subministrante malitia, excrescentia illa cohiberentur, summa ita largiente clementia, non defuerunt per tempora viri prudentes, æqui Magistratus, ac summa prouidentia regnãtes Principes, quorum in tot mortalitatis ærumnis consilium, aut manus sequi oportuit, † qui passim tantas aduersus calamitates, ex bono, & æquo plura nõ excogitauerint antidota, parauerintq; remedia; ad quæ ipsa, vbi animos semianimes facti mortales applicare vellent, se magna ex parte leuari, ac refocillari facile persentirent. Quorum si in indiuiduo meminisse exposcas, inter cætera Ciuitates constructas, constitutas leges, creatos magistratus, iudicia dicta, ad veritatis penè obrutæ inquisi-

1

quisitionem testes accitos, & his alia similia multa conferre, animoq; euoluere poteris, de quibus in §. singulorum instit. de rerum diuisione, & in l. ex hoc iure, cũ l. sequenti ff. de iustitia, & iure, & quoad ipsam veritatis inquisitionem spectat, diuinum illud iactauerunt eloquium † quo in ore duorum, vel trium stare omne verbum perfertur, vt in Matthæi Euangelio sacrosancto cap. 18. Deuteronomij cap. 17. in cap. 1. 2. quæst. 5. cap. in omni negocio, & cap. licet de testibus, cap. relatũ de testament. & cap. nouit de iudicijs, & quantum ad ius ciuile, habes in l. vbi numerus ff. de testibus, & alijs allegatis per Brunorum à Sole in eius iuris vtriusque compedio resolutorio in verf. Actum humanum: † intelligendo tamen quod qui inducerentur, idonei forét, fideles, discreti, quosq. veritatis lumen, ac sacra fides communiret, iuxta plura, quæ in eius repertorio de testibus, Monticellus prosequitur in titulo Testes qui esse possint, quod, & nobis in iuribus præcitatis, & in l. iurisiurandi C. de testibus, satis insinuatum est. † At quia malo illo admisso principio in eum modum hominum excreuit malitia, vt per quos edici veritas sperabatur, ad nutriendas discordias magis, & amplius mendaciorum caligo irrepserit, † quia vt. in proprijs mortales peccare non satis esse crediderint; nisi ad maleficiorum culmen, alijs quoque, quod, pro nostrà calamitate, admirationi locum fecit, aberrare volentibus præstò essent, Auctoresq; assiduè fierent; propterea eorum in iudicijs attestationes, & dicta sacrosancta haberi non oportuit, † imò ordine retroacto, exceptiones plurimas pati cum personas contra, cum dicta, cuiuscumq. conditionis, aut dignitatis illi efferantur, ipsimet veritati congruit. Atque inde fermè est, † quod de testibus enunciatum edictum prohibitorium ex sui conceptione dignoscitur, quasi quod ratione iam exposita, vnusquisq. in præfata duorum, vel trium, aut alio quouis plurium numero, pro forma in quouis negotio fortasse adhibendo, valeat computari; nisi exceptionibus aliquibus à lege diu tractata admissis, ac ipsismet iudicantibus benè visis, expressim arceantur; vt per Glosam in cap. placuit de testibus, & in l. 1. ff. eod. titulo, atque alios copiosè allegatos per Farinacc. de oppositio: contra personas testium quæst. 53. in principio.

Dixi, lege diu cognita; vt cum plurimum insudasse legũ latores acceperimus in considerando quid pro hominum salute, & rerum publicarum pace constanti, pro lege sanciendum foret, eisdemq. nos parum hodiè non debentes, illud nũc pro certo assequamur, in earum receptione ita se eos tunc gessisse, vt quantum cuiq. hominum speciei, seu fortunæ in eorum artibus circa fidem indulgendum esset, longa per experimenta enixè satis aduerterint.

At magis vltra rem deducendo, quia quas dixi exceptiones, vt plurimum, nedum testificantium versutia, sed & litigantium met subdola productione latere depræhenduntur, vt ex hoc ipso non satis eas in legibus deprehendisse iudicanti videatur, propterea ad veritatis inquisitionem, quoue detecta ipsa, opportuno veluti adiutore supposito, sustineretur, vel ipsa dictante natura; reprobationum introductum est propugnaculum.

Vndè illa primo loco dicta se offert probanda sententia, omnes videlicet idoneos testes credẽdos esse, si modo aliqua eos legitima exceptione, vel submoueri, vel penitus repelli non contingat, iuxta notata per Afflictum in cap. inuestitura, §. si verò num. 7. in tit. quid sit inuestitura.

Vt tamẽ ex his ita in præuiæ inspectionis modum inductis, infradicendis pariter ordinatum progressum patefaciamus; si omnem de re aliqua tractationem a definitione retrahendam latinæ linguæ parenti Tullio dabimus, iam dictæ reprobationis, seu, vt communi vtamur vocabulo, Repulsæ legitima descriptio inferẽda est, quæ in hoc ferè thema concipi potest.

Quod sit aduersus testium in iudicijs irreparabiliter dictam, vel præsumptam iniquitatem remedium, eorum fidem parte, vel lege suggerente iudicanti insinuãs sub

sub duplici subordinata dilatione communicandum.

Cuius, vt laconicam explicationē pro nunc assequaris, dictum est, aduersus testium iniquitatem, vt distinguatur à Scripturarum, & aliarum rerum reprobatione; de qua suo loco. Deinde subiunctum, dictam, vel præsumptam, ad demonstrandum † reprobationem dupliciter exerceri posse, vtputa aduersus testium dicta, & eorundem personas, dum in eas criminibus aliquibus obiectis, præsumptione mali indè fluente in prædictis attestationibus fidem vel perdere, aut in parte comminuere procuramus.

11

12

Dictum est etiam, irreparabiliter, ad demonstrandum † in Summarijs causis ad plenarias ordinatis cessare iam dictū reprobandorum testium vsum; cum in succedenti plenario; si quæ iniquitas concepta, admissaq. fuerit, facilè reparari possit, vt infra latius in tertia consideratio. monstrabitur.

12

Præterea est additum, parte, vel lege; † vt intelligas, non solum parte subministrante testium reprobationes haberi posse; sed etiam ex mero iudicis officio, quū perspectis legibus, eisq. informato, instructoq. animo acta discurrendo, cunctaq. trutinando, de principali negotio ad sententiam vsque cognoscit, eiusq. executionem, nisi aliud impediat; vti plenissimè in sesta consideratione per totam differetur.

13

Denique subscriptum est; sub duplici subordinata dilatione; quia videlicet pro eis faciendis duo termini ad inuicem subordinati statuti legantur, vt in proximè subijciendis apparebit. Neque rursus illis post publicationem vetitam nouam testium productionem, iuxta Auth. at qui semel, C. de probat. & cap. fraternitatis, & iura alia officere, latissimè in sequenti consideratione comprælhendes, & habes per Andream Gayll. in obseruat. imperiali 105. num. 8. lib. 1.

Primò tamen pro iam dictorum, & infra scribendorum dilucidatione; magistrales aliquas iam suggestas distinctiones vberiori calamo elaborare oportet; quibus commodius, serioue præfatarum reprobationum merita noscere volētibus, in cunctis veritatis lumen assistat.

Et, vt ordine conuerso, ab vltimis propositæ descriptionis verbis, eas repetamus, prænotādum est, quia videlicet omnia tempore incipiant, ac perficiantur † reprobandi facultatem primò commumi iure bis tantum potuisse concedi, vt in cap. licet dilectus, vbi Panormit. notauit; & Glosa ibidem in vers. quod si rursus, de testibus, atque ex eodem textu optimè Romanus in singula. 388. incip. Reprobatio.

14

Nec te cōmoueat, quod de tertia productione ibi dicitur; † Nam in illarum numero ea computatur, quæ in principali termino struitur; vt meritò reliquæ duæ repulsarum subsequentes tres ad summū, & non vltra, productiones in causa importare credantur. Quod tu communi iure inspecto verum intelligas; nè restitutionum dilationes, & in eis productiones speciali alias iure parentes huc in contrarium referas; de quibus satis, superq. suis in locis diximus.

15

Cur autem reprobatio duplex decreta fuerit, & non vltra, si exquiras, considerare poteris in reprobatione construēda ad plura reprobantium ferri intentionem, vt puta ad refellendum primò, cum adinuicem inductos testes per crimina, & obiectus varios debilitare, aut penitus tollere contendunt, ex eis videlicèt præsumptam falsitatem in eorum dictis protestando, vel quoad dicta per directè contrariam, vel indirectè contrariam positionem, in eis falsitatem cum corruptione, quoad directè contrariam positionem demonstrando, iuxta copiosè explicata per Canonistas in d. cap. fraternitatis. Secundò verò ad comprobandum: dum per reprobationem reprobatoriorum in primo repulsæ termino examinatorum, ipsi alias per dictos reprobatorios debilitati aliorū testium inductione in secunda repulsa commendantur. Dixi, per reprobationem reprobatoriorum in secūda Repulsa, † quia in eadem prima, in qua reprobatorij ipsi examinantur, neque quoad personas, neque quoad dicta reprobari possūt, quoad

16

17

personis non quidem; nam posset esse, quod reprobarentur, qui examinati non fuissent; cum multi producantur, qui deinde ad examen non accedunt, vel quod examinarentur prius reprobatorij reprobatoriorum, quā primi ipsi reprobatorij.

Quoad dicta verò satis absolutum est, cum publicatione non facta, testium dicta tanquam nulli, nisi iudici aperta, rescíri non possint; de quo dicendum, prout latius infra in sequenti consideratione notatum reperies.

18 Quod tamen de duplici competenti reprobatoria dilatione vtriq. parti competenti dictum est; declara primò, & ampliá, siue tractetur de reprobatione personarū; de qua in specie dictus textus loquitur, in cap. licet dilectus; siue etiam de reprobatione dictorum, cum militet eadem ratio, de qua in eo textu. Quod enim vltra duas, vlterior repulsa non concederetur, non ob aliud fuit constitutum; quàm nè sub defensionis permissu, veluti sub velamine, protelationis, & affectatæ litium immortalitatis calumnia, quæ frequenter in iudicijs reperé solet, turpiter nutriretur, vt in d. cap. licet dilectus Glosator plura allegans iura animaduertit; latiusq. repetijt Lanfrancus in eius praxi ad text. in cap. quoniam contra de probatio. num. 52. & secuntur communiter ibidem in d. cap. licet dilectus Abbas, Butrius, Aretinus, & alij. Attento etiam, quod ex dictorum reprobatione, & persona ipsius testis reprobari intelligitur, vt per Aretinū ibi. Notandum tamen, quod & si tertiæ repulsæ locus non pateat, intelligendum

19 est per testium examinationem; † Nam ea, quæ à iudice pro suo officio exercetur, & fit, nunquam excluditur, & alia, de qua habes latissimè infra in sexta consideratione per totam.

20 Declara secundò, vt procedat, si pars vtraque produxerit testes in primo termino; nam si solum Actor examinauit, tunc vtrique vnica reprobatio conceditur; videlicet prima Reo ad reprobationem testium ipsius Actoris, & negatur Actori, seu ei non communicatur, quia non adsint Testes Rei, quos reprobare possit. Secūda verò datur Actori ad reprobationem reprobatoriorum inductorum à Reo, & confirmationem priorum examinatorum in primo termino, & sic è contra. Nec dici potest, hoc modo non seruari in iudicijs adeò receptam, & commendatam æqualitatem, iuxta allegata in glosa in d. cap. licet dilectus; Nam satis liquet æqualitatem vigere; cum eorum quisq. semel reprobet, quod & latius in d. textu Glosa, Abbas, Butrius, Aretinus, & cæteri prosecuntur; dic, vt per eos.

21 Tertiò, & postremò declara, & limita, quod de duplici repulsa dictum est, vt non procedat in reprobatione faciēda per instrumēta, cū vlterior vetita productio vltra tertiam quoad omnes, vel vltra duas reprobatorias, non extendatur ad instrumenta; quæ testium non veniunt appellatione, quod similiter prosequere, vt per eos, & Felinum ibidem. Clarum est enim instrumentorum productioni publicationem non obstare, ex vulgaribus iuribus in auth. atqui semel de probatio. & cap. fraternitatis de testibus per textum, in d. c. cum dilectus de fide instrument. & ibi per Glosam, ergo, &c.

22 Præterea, quod de duplici repulsæ dilatione notatum est, similiter, & hoc nostro Regni iure admissum legitur; vbi pragmatica Sanctio, incipiens cursu dilationum, sub titulo de ordine iudiciorum posita obseruetur; & quod notauit Lallus de Tuscia in constitut. Regni in pecuniarijs num. 15. & Afflictus ibidem sub num. 7.

23 Imò vlterius hoc nostro iure particulariter effectum est, vt prima repulsatoria dilatio simpliciter repulsa dicatur; Secunda verò repulsa repulsæ; & hoc eius ministerio inspecto, cum clarum sit, iuxta supra scripta, maximè illam in reprobationē reprobatoriorum in prima inductorum dirigi, & consumi, prout latius in sequenti consideratione habes.

24 Vlterius, & particulare aliud in eis hoc nostro Regni iure receptum est, quod videlicet in prima Repulsa assignanda dilatio, medietate alterius in principali termino assignatæ dilationis concluditur. Altera

tera verò in secunda præscribenda, medietas assignatæ in prima intelligitur; prout in d. pragmatica cursu dilationum lectitatur, † vt in his primum assequaris recessum esse à dispositione ritus magnæ curiæ 73. qua primæ repulsæ terminus; iuxta causarum qualitatem, & locorum, vnde retrahendæ probationes essent, distantiam, iudicis arbitrio statuendus refereba tur. In secunda verò alter terminus dierum sex à die assignatæ copiæ computandus, vt in Ritu sequenti 74. cauetur expressim, quicquid in contrarium Ebolitanus ibi sentiat, vti optimè per Nouissimos in praxis S. R. Consilij parte 6. in Glosa momentum num. 12. & in Glosa Repulsæ num. 2. vbi verò datur terminus, debet addi; In Repulsa, vt eius terminus à probatorio distinguatur, vt per Ebolitan. in d. Ritu 73. num. 2.

26 Præterea ex eadem obseruatione, & aliam olim receptam praxim exoleuisse videre est; quam refert alter Ritus 283. dum ante repulsę dilationem terminus ad opponendum obiectus hodie, vel cras assignabatur, prout, & olim etiam ante probatorium, & principalem terminum statui consueuerat; vt per Ebolitan. in Ritu Curiæ 69. & deinde ad posita probandum, vsque ad talem diem; prout habes per eundem Ebolitanum in Ritu Curiæ 79. & 89. & per Glosam in Clement. sæpè in §. statuimus, in vers. post dationem de verb. significat.

At nunc circa præmissa, pro exactiori dilucidatione, multa necessariò consideranda offeruntur; & primò cur sit, quod per terminorum illas subalternatas medietates repulsæ dilationes sint definitæ?

Secundò nũquid à iudice sine alio decerni valeant? & sic etiam partibus ipsis non petentibus?

Tertiò, & vltimò in quibus ipsæ repulsarum dilationes cum alijs in beneficijs obtinentibus diffideant, ac conuenire rursus depræhendantur?

27 Quantum ad primum, in subordinatis hisce terminorũ medietatibus, vt aliquid simul vltimi requisiti attingamus, conuenire repulsas cum beneficijs facilè intelligis ex præcalendatione, allegatæ pragmaticæ cursu dilationum, & cum in ipso beneficiorum tractatu plenè de ratione disputatum sit in prima cõsideratione, propterea, nè bis idem repetamus, ad ibi scripta hæc ipsa sciscitantem reicimus † quãuis hic addi, & iure possit, iustissimè per dilationum deminutionem in eis processum fuisse; cum odij plurimum præseferre noscantur, iuxta notata per Panormit. Butrium, & alios in vulgato, cap. licet dilectus de testibus, per Caualcanum in iudiciali decis. 46. num. 330. & Iosephum Lodouicum in decisio. Perusina 86. n. 15. 28

29 Quoad secũdum, & si dilationes huiusmodi, vti & cæteræ aliæ à iudicante decernendæ veniant; cum iudiciorum is Auriga, Dux, & Imperator Baldo creditus sit in Rub. C. si à non competenti iudice, non tamen antequam à partibus ipsis petantur, intelligendum est, prout tam communia, quam Regni iura loquuntur, d. cap. licet dilectus, & cap. præsentium eod. tit. vulgata pragmatica cursu dilationum, d. Ritu 73. & 74. † & licet dictæ pragmaticæ dispositio contrarium dictare aduertatur; dum post publicationis decursum terminum ipso iure, primæ reprobationis petitum terminum intelligi disponit, & sic pariter de secunda, vti in ea latius. 30

Hodie secundum obtinentem, & satis receptam praxim, in hoc dicta pragmatica non seruatur, cum nonnisi à partibus petitæ à iudicibus decerni aduertantur.

31 Quantum verò ad tertium, & vltimum, considerandum est ante omnia, longè inter se distare reprobatorias has, & restitutorias dilationes; † Nam licet reprobatoriæ defensionis speciem quandam obtinere videantur, iuxta notata per Bart. in extrauaganti ad reprimendum, in verbo figura, Afflictum in decis. 351. num. 3. & Foller. in Clausula concedatur Repulsa in principio, & in clausula, si confitebuntur nu. 59. quo inspecto, fauorabiles enũciari possunt; non vsque adeò tamen hocte affirmare volumus, vt odio prorsus easdem carere tibi suadeas; plurimum etenim odio accedere, ex eo manifestum redditur, † quod cum ad personarum cri- 32 33

mina,

mina, & defectus exprobanda intendantur, vt per Marantam in speculi 6. parte actu 13. num. 7. multoties non tàm figuratæ defensionis imaginem præseferre, quàm exprobandæ calumniæ viuū exemplar effingere aduertuntur, vt per Afflictū in allegata decisio. 351. num. 7. Ebolitanum in d. Ritu 73. num. 6. & per Glosam in d. cap. licet dilectus. Restitutoriæ verò aliæ, cum probationum principaliter extruendarum; quæ fauore niti intelliguntur, metam prosequantur, nequicquam cū reprobationum odio commune habent, iuxta latè à nobis animaduersa in d. tracta. de primo, & secundo beneficio considerat. tertia.

34 Vlterius tamen, quò plenius, in quibus inter se distinguantur, & conueniant dilationes præfatæ in totius nostræ considerationis decursu innotescat; pro clariori examine, in eis plura considerari posse, prænotandum est. Cuiusmodi sunt ante publicationem ipsarummet reprobationū causa, emittendæ protestationes, petitiones earundem post publicationem, Appellationes, vbi eas petitas à iudicante negari contingat, earundem dilationum tempora, prorogationes incidētes, positiones, & capitula, Testium in partibus nominationes, illorum inibi audientia; publicationes, & similia; de quibus singulis pro nostri instituti ratione duximus pertractandum.

Quantum ad primum, à restitutionibus distare plurimum reprobationes satis perspicuum est: quia restitutiones earū præmisso fauore attento absque vlla protestatione decernuntur, vt in d. nostro tract. 35 considerat. prima videre est; † cum in repulsis secus sit, vti quæ ratione in ipsis obtinentis odij, protestationes, de quibus infra, omninò requirunt. Facta etenim protestatio ante publicationem præsumptam illam calumniam repulsarum petitioni cohęrentem quasi remouet, & abesse facit, vt meritò iudicantis animum ad earum concessionem inducat, vt notatur latius in d. cap. præsentium, & in d. cap. licet dilectus, & habes aliquid per Marianum Socin. in cons. 36. n. 17. & 18. vol. 2.

36 Et qaia succeßiuè protestatio hæc ante publicationem fieri debet; de necessitate propterea illud vsu, & inueterata practica receptum est, vt videlicet in actu citationis, qui ad videndum examinandorum testium iuramenta concipitur, ea contra, & testium personas, & dicta, ac pariter dicēda per eos emittatur; iuxta tradita per Doctores in d. cap. præsentium, Afflictum in Regni constitutio. incip. probationum defectum columna vltima, eundem in sæpè allegata decis. 351. Troisiū in d. pragmat. cursu dilationum num. 15. plenè per Stiaticum in eius ciuilis praxis c. 20. num. 36. & Ferratium in cautela 15. incip. duplex genus in principio.

Aduertendo tamen, quod in casu, in quo quis testem à se alias productum reprobare vellet, non sufficeret in casu præmisso prædicta generalis protestatio; cum alia specifica requiratur; vtputa, quia periurus is sit, fur, sacrilegus, vel alijs similibus irretitus, vt optimè habes per Farinacc. de oppositio. contra personas test. quæst. 62. limitat. 10. num. 258. Tu tamen dicas latius, vt in sequenti consideratione, vbi alia ad eiusmodi reprobationem necessaria requisita expenduntur à num. 44. vsque ad 50.

37 Aduertendo vlterius, quod quandocunque ante publicationem ad effectum prædictum emissa protestatio depræhendatur; satis erit ad repulsam post publicationem obtinendam, vt in d. cap. pręsentium Aretinus notauit; quod, & verum 38 est; † Nam quod in citatione, vt supra fieri soleat; ad certam quandam commoditatem referendum est, & opportunitatem; cui plurimum inseruire didicisse mortales non est obscurum: non quod, re vera, ea prętermissa in dicta citatione, non possit quandocumq. ad partis instantiam, & voluntatem ante publicationem in acta referri; quod ipsum ex protestationis natura iurè obuenire dijudicatur; cum statim testium habita notitia, non veritatem, sed apertam suorum iurium deiectionē ægrè tulisse partem, ex ipsa protestatione significet; vt meritò non calumniæ causa; sed propriæ, & merę defensionis obiecta dein de re-

de repulsæ petitio intelligi possit; dato, quod protestatio ad protestantis releuamen ordinata credatur, iuxta vulgaria notata per Doctores in l.non solum, §.morte, ff.de noui operis nunciatio. & in cap. cum enim Ferrariensis de constitutio.

Non tamen quod de protestationis necessitate dictum est, perpetuò obtinere intelligas; vndè primò supra positam conclusionem declarabis, † vt ea, quoad testium personas reprobandas tantum procedat, non item si ad eorum inuerisimiles, vel falsas attestationes redarguendas efflagitetur; † non enim ex protestationis omissione, eiusmodi labe conspersas attestationes examinatorũ, alioquin ante publicationem sibi ignotas, approbasse, intelligi potest; quemadmodum ex citatione eorum personas, de quarum habilitate verisimiliter valuit, imò debuit sibi notitiam comparare. Quare dictorum reprobatio, adhuc non obstante protestationis defectu, post publicationem haberi poterit. quod ipsum pro prima restrictione teneas, vt habes per Bartol. in auth. si testis productus, C.de testibus in fine; quem sequitur alios allegando, Farinacc. in vulgata quæst.62. limit.8. num.185.

39

40

Verùm hoc ipsum, quod dictum est; nõ adeò dictorum reprobationi tribuendum ducas, vt & personarum alteri quandoq. non concessurus sis, prout in aliquibus casibus concessum, aut concedi debere, in subijciendis videre est.

Pro quorum faciliori captu considerãdum est † Testium quorumuis in causis, in quibus reprobari possunt, inducendorum triplicẽ habitudinem ferri; vel enim primò referuntur ad repulsare, seu reprobare volentes; vel secundò ad eos, qui ipsos ad ferendum testimonium induxerũt; vel tertiò, & vltimò ad leges, seu statuta super eorum fide, & legalitate disponentia.

41

Et quidem quantum ad primam habitudinem, secundum quam ad reprobare volentes testes referuntur; eos, ipsi sibi inimicos capitales, aut aliter enunciare poterunt; Quoad secundam, iuxta quam ad producentes respectus habetur; eos producentis domesticos, familiares, socios, commensales, naturali, spiritali, vel legali vinculo coniunctos, vel similibus alijs, de quibus suo loco, astrictos commostrare valebunt. Quantum ad tertiam verò, vbi ad legem, vel statutum relatio fit; seu mauis ad se ipsosmet, infames, excommunicatos, fures, falsarios, adulteros, & alijs similibus vitijs, & criminibus notatos illos comprobabunt, quibus ob dicta scelera nulla ferè ex legibus fides adhibetur; prout latissimè, & sigillatim in sexta consideratione notatum comperire est.

His ita prænotatis, ad emittendę protestationis enunciatam necessitatem decurrendo, ita commodissimè rem explicare lubeat; protestationem videlicet quoad primam habitudinem necessariò ante publicationem fieri debere; Nam alias conticendo, eorum in edendis, formandisque attestationibus personas approbasse facilè intelligerentur.

42

Quoad secundam rursus idem affirmare compellimur, cum domesticitatis, consanguinitatis, & aliorum præmissorum impedimenta, non minus ea taciturnitate, eadem remissa intelligi possint; iuxta ea; quæ allegato infra loco notata sunt.

Quoad tertiam verò, & postremam; secundum quam ex ipsis met testibus lege, vel statuto iudicante prodeunt reprobationes; quia publicum ius illæ protendũt, † cui etiam mutua partium taciturnitate, & ex ea, tacito consensu derogari nõ posse, dispositum est in l.si quæratur, ff.de testament. & similibus, de quibus infra d. sexta consideratio. aliquam ad eas deducendas, & fabricandas non exigi protestationem pro absoluto est; quare & si aduersus excommunicatos, infames, fures, & his similes, ad repulsæ effectũ nulla emittatur protestatio; adhuc tamen eorum reprobatio haberi poterit, † cũ lex, seu statutum illorum reprobationem enuncians semper loquatur, vt in l.Arriani, C.de hæreticis; atque assiduè eiusmodi, tali lue corrosos, & publicę tranquillitati infestos à testimonij prolatione, seu mauis ab inducenda fide repellat, vti ex Baldo in vulgata l.si quis testibus, in vers. dubitatur hic

43

44

C.de

C.de testibus, Venusinus deduxit in speculi citata sexta parte actu 13. num.2. sequitur Stiaticus in praxi Bononiensi cap. 17.num.33.& 34. Iosephus Lodouicus in decisio. Perusina 86.nu.8.& Farinacc.de oppositio. contra personas testium in d. quæst. 62. limit. 8. num. 186. & limit. 7. num. 121.

45 Vlterius tamen rem deducendo, animaduertẽdum est, etiam respectu illarum primarum habitudinum,quoad quas præmittendas esse protestationes, supra conclusimus; interdum, eis prætermissis, ad repulsas decurri posse; prout ex subijciendis assequi potes. Et quidem primò, vbi non ex præsentium ignauia, sed certæ absentiæ occasione, iam dicta protestatio emissa non fuerit; Nam tunc publicatione facta; partibus ad causam redeuntibus non erit reprobationis auferenda facultas,iuxta Baldi traditionem in d. l. si quis

46 testibus: † eo etenim casu absentes qui fuerunt,neque in eos consensisse,minusuè personarum, alioquin ignari; eos approbasse intelligendi sunt,l.planè,ff. de excusatio. tuto. & cap. cum in tua, qui matrimon. accusare possunt, præsertim aduersus eos pugnandi legitimo iure subsistente,vt & Cynus in d. auth. si testis productus notasse videtur, prosequiturq. plenè addendo Grammaticus in vulgata Afflicti 351. Iosephus Lodouicus in d.decisio. 86. num. 5. Bartolus in auth. de testibus, in §. si quis verò num.5. & in §. & hic verò num. 14. Exemplum quidem tibi esse potest,qui illud efflagitas, vbi principalis non fuerit de persona ad videndum examinandorum testium iuramenta citatus, sed eius procurator, vt habes apud Mascardum de probatio. conclusio. 408. nu. 24. & plenius per Farinacc. in d. limitatio.8.num.181.

47 Sed, & idem sanè affirmari potest, si præsens quidem pars fuisset; sed tamen iudicis facto extitisset impedita, nè protestationem emitteret, vt voluit Felinus in vulgato cap. præsentium, Menochius de arbitrarijs iudicum casu 239. nu.4. quos refert, & sequitur Farinacc. in d. limit. 8. num. 288.

48 Tertiò reprobatio haberi poterit; vbi testium reprobandorum defectus, & crimina post emissam in causa publicationẽ, ad eius notitiam peruenisse, pars altera comprobaret,& rationabiliter quidem ex iactata illa iuris dispositione; qua dicitur, quod quæ de nouo emergunt, nouo indigent legum auxilio,vt in l.de ætate, §. ex causa, ff.de interrogato.actionibus,habes latè per Crottum in tracta. de testibus parte 8. num.4. & 5. Stiaticum in d. cap. 17. num.41.& Farinacc.ibid.num.183.

49 At rursus vti valeat litigator hoc comprobare; si quæras,per propium iuramentum id eũ absoluere posse, intelligas, quo, vt eius formulam pariter calleas; non calumniæ causa, sed solo legitimæ defensionis intuitu ad eam se decursurum attestetur,vt clarè dicitur, & notatur perscribentes in d.cap.præsentium, Grammat. in d. Afflicti decisio. 351. Bernardin. Roccam in eius praxis lib. 4. in tit. de publicatio. testium,Lanfrancum in tracta. de testibus num.46.in vers.tamen pro præsenti, Milleum in eius prosequendorum criminum praxi,commissio.2. fol.mihi 113. num. 1. & faciunt notata per Doctores in cap. significasti,il secondo, de homicidijs. Sed an simpliciter is in tali casu ad repulsam admittendus sit?an verò cum aliqua causæ cognitione? dic, vt infra in sequenti consideratio.

50 Quod tamen de iuramento dictum est, limitandum est, vt præstari non possit illi, qui in periurium inciderit, iuxta Glosam in c. paruuli 22.quæst.5. habes per Crottum de testibus 8. parte num. 2.& alios post eum per Moncadam allegatos, & habes infra in 2. partis, Considerat. vnica, Requis.3.num.170.

51 Aduertendo rursus, quod vbi ex legibus reprobatio petenda esset, ex cuius dispositione tertiam illam effinximus habitudinem; sicut,quoad eam,protestatio nõ exigitur: ita neque hoc,quod dictum est, iuramentum,vt in d.l.si quis testibus Baldus notauit, & ratio est euidentissima, † quia videlicet in his casibus, qui de facto testes examinati sunt,ex tacito partiũ consensu,vt supra deductum est,ad ferendum

dum testimonium habilitari lege ipsa, vel statuto publico iuri innixis oppugnantibus, non poterunt; vndè vulgò, & illud notabiliter enunciatur † quòd exceptioni alicui in alterius odium introductæ per partes renunciari non potest, vt per Glossam in l. tam, & si ff. ad Macedonia: Crottum in d. parte 8. num. 4. Afflict. in allegata decisio. 351. Crauet. ad Vestrium in praxis lib. 5. cap. vltimo, Menoch. hos referentem de arbitrarijs iudic. casu 239. num. 5. & 6. & Ferratium in d. cautela 15. col. 2.

52

53 Præterea ad ipsam protestationis materiam redeundo, considerandũ est; quòd nè dum antè publicationem ad primam repulsam obtinendum, necessaria, vt notatum est, protestatio creditur, sed etiam ad secundæ deinde currentis repulsæ obtemptionem, praxi hodierna inspecta, & quidem tunc propriè ea interponẽda est; vbi pars altera ad reprobandum properans in primæ repulsæ iam decurso termino ad publicandum in eo per citationem interpellatur, sub hac videlicet forma, ꝙ salua ipsi iura intelligantur quoad repulsam repulsæ suo loco, & tempore petendam; quam ex nunc pro tunc, sibi decerni petit, &c. vt benè Nouissimi in d. Glossa Repulsæ circa finem retulerunt.

54 Illud tamen adhuc commemoratione dignum omittendum non est; quòd ad has testium personas contra, & dicta, faciendas protestationes, faciles se præstare non debent ordinandorum iudiciorum patroni, procuratores dico; Nam multoties probationem aliquam in repulsa non facturi, ad pompam fortasse, quò aliquid passim, vt plerisq; medicis mos est in medelis, ipsi factitare dignoscantur; præmissas protestationes concipiunt, non animaduertentes ex earum emissione eorum principalibus non parum præiudicij inferre; non solum etenim ad repulsam ea, iuxta præenarrata, viam aperit; sed † & si quæ per aduersarij testes in tota causa deponentes in eorum principalium fauorem fortasse attestarentur; nè illis prodesse possint, protinus inducit; cum ea protestatione se dicendis per eos fidem, quã ab alijs adhiberi nolunt, non habituros enixè protendant, vt suadetur in d. cap. præsentium in fine; aduertit Maranta in d. actu 13. num. 4. Rocca citato lib. 4. in tit. de oppositio. contra testes in vers. nota tamen fol. mihi 419. Campeg. de testibus regula 387. Milleus in secunda cõmissio. in verbo post aperturam num. 3. fol. 113. & Boerius in decisio. 245. nu. 6. & Bossius in tract. de testibus in tit. de publicat. processus num. 13.

55

Supradictam tamen sententiam, re ipsa animaduersa, non perpetuò tenendã scribentibus placitum est in d. cap. præsentium. † Tu tamen, multorũ filacteriis prætermissis, ita communiter distinguas, vt legitur apud Imolam in d. cap. præsentiũ; quòd aut † Is, qui eiusmodi protestationem emisit, testium, in quos opposuit, prosecutus est reprobationem, & tunc eorum dicta in protestantis fauorem, per supradicta non recipientur; intelligendo sanè, & ampliando, siuè in reprobatione quis obtinuerit; siuè etiam fuerit superatus; Aut verò in puris terminis emissæ protestationis resedit; & tunc rursus distinguendum est, † quòd aut protestatio fuit specifica; videlicet per criminum contra testes propositionem; aut verò generalis. Primo casu iuuari opponentes eorum dictis non posse clarissimum ex consideratis per Boerium in d. decisio. 245. † secundo verò casu multum interesse putatum est, an testes ij, in quos protestatio emissa fuit, honestatis, & integritatis specimen præseferant; quos videlicet nequaquam verisimile sit à veritatis tramitibus aberrasse; & tunc eorum dicta, veluti boni præsumptione adiuta in protestantis fauorem iure induci poterunt, vt per Milleum ibidem nu. 7. † vndè sequitur; quòd si per contrarium minus honestæ personæ efferantur, vt de facili eis, sinè aliis adminiculis, credendum non sit, tunc quidem pro protestante non facient; quia fortasse præsumptio est; quòd timore, nè sibi crimen aliquod per protestantes obijciatur, illud pro ipsis protestantibus protulerunt.

56 57 58 59 60

61 Tu tamen vlterius dicas; quòd licet semiplenam

miplenam non faciant; talem qualem tamen præsumptionem importabunt; quod optimè in dicto tract. de testibus nu. 47. Lanfrancus prosequitur, & citato supra loco Milleus.

62 Hinc † & illa pariter deciditur quæstio; de qua latè in 2. parte dicetur; quòd cum ex emissa contra testes protestatione, testis in fide comminutus intelligatur; non poterit pro protestante semiplenam facere, & consequenter, si pars, in cuius fauorem deposuit, pro eius intentione nihil deduxerit, & præfatæ depositioni inniti velit; non poterit; alijs requisitis suppositis, in probationis supplementum; necessarium iuramentum sibi deferri postulare; cum alias requisita semiplena sibi deesse aduertatur; dic, vt latius in d. 2. part. requisito 2.

Tandem concludendo; quia ex huiusmodi protestationibus iam expositũ ma- 63 lum importari probatum est; propterea ad illud fugandum, pro antidoto veluti, illa vulgari clausula communiter procuratores vsi sunt; vt dicant se protestari contra personas testium numero, puta decem, ac dicta, & dicẽda per eos; quatenus contra, & non aliter, nec alio modo. Quæ saluatio sustineri posse uidetur, exeo; † ꝙ 64 testes ipsos ꝓ parte approbare & pro alia reprobare valeamus, quo ad personas tamen intelligendo, vt contrariũ, quoad eorum attestationes, seu dicta obtinere concipias, vt per Glosam in cap. si quid veri 37. distinct. Speculato: in titulo de testibus §. 1. in vers. quid si pro vtraq; parte; & de antè dictis per Nouissimos in vulgata Glosa momentum num. 6.

Præterea quia ex his efficacem magis esse contradicta, quàm contra personas protestationem liquet, ex quo pro parte dicta, vti personæ ipsæ approbari, & reprobari non valeant, ratione connexitatis, vt supra: propterea, & illud hic in memoriam reuocare placet; quòd in alio quoq; dictorum alias fauorabilis reprobatio, odiosissima alioquin personarum altera grauior cognita est, † Nam quoad 65 personas duo testes possũt per alios duos reprobari, sed quoad dicta reprobanda pertinet, grauiori quis probationis onere pergrauatur, vt in cap. si testes §. vltimo 4. quæst. 3. ibi *liquidis probationibus*. ad quod illud explicatè magis accedat, quod dictum est † quòd in dicto- 66 rum reprobationibus, testes numero, dignitate, & qualitate reprobandos excedere debent, vt remissiuè per Marian. Socin. in repetitio. vulgati cap. fraternitatis de testibus sub num. 91. in vers. item aduerte. & sic duo testes, quò ad dicta, non poterunt ad minus reprobari, quàm per quatuor, vt notatur in §. item verborum institut. de inutilibus stipulatio: & habes per Baldum in consil. 101. num. 1. vol. 1. & videas, quæ dicam infra in sequenti consideratione num. 163.

E contra verò in alio odiosam magis personarum reprobationem esse, intelligimus; quòd licet communiter sit notatum; † testem ab altera partium semel 67 productum amplius ab ea reprobari non posse; cum ex illa productione ipsum approbasse censeatur; vt in d. l. si quis testibus, vbi Baldus; & facit textus in l. cum Papinianus, cũ ibi notatis C. de sentent. & interlocutio. omn. iudicum, habetur per Marantam in d. actu 13. num. 10. & latius apud Corsettum in singula: suis in verbo testis il 2. nu. 2. Mantuam in Apothegmate 285. nu. 1. & latissimè per Mascard. in conclusio. 1241. num. 3. prout de hoc suo loco ampliando, & limitando, magis, & amplius in sequenti considerat. tractatum est.

Tamen hoc ipsum † quoad personas 68 intelligendum est; cum quoad dicta, quæ falsa forsitan allegarentur, aut minus verisimilia, ex productione ipsi minimè approbati intelligi possint, ex eo, quòd eorum dicta producenti in eadem causa, seu alia deinde per ipsum mota, vel in eum per alium instituenda nullo modo nota præsumi valeant, iuxta Glosam in cap. constitutus in fine de testibus, Panormitani traddítionem in vulgato cap. præsentium col. 3. habes per Marantam in d. actu 13. num. 12. Capicium in decis. 62. nu. 6. Lanfrancum in allegato cap. quoniam contra de probat. in verbo testes in vers.

vnum

vnum non omitto num. 52. & habes in d. cap. si testes.

Non minus præterea à personarū odiosa; quæ dictorum altera est, reprobatio 66 diffidet; si iuxta Doctorum inuestigationem; an repulsa in prima instantia omissa, in secunda reparari possit, inquira-69 mus. † Nam licet errores omnes in prima instantia commissi, ex vulgariter tradditis per Capicium in decisio. 35. & per Doctores in l. creditor §. iussus ff. de appellatio: possint in secunda emendari, & sup-70 pleri; Tamen quantum † ad omissam repulsam pertinet, quoad dicta dumtaxat in secunda reparari posse, non item quoad personas, receptum est, vt per Cauensem in vulgata pragmat. Cursu dilationum num. 17. de qua re etiam latè in sequenti 3 consideratione dictum est, vbi videndum. Ex quibus omnibus quemadmodum dictorum, & personarum reprobationes 67 inter se diffideant, atq; conueniant, sanè intelligis; vt aliud vltra pro nunc efflagitare non possis.

Secundò principaliter, quantum ad earum petitiones attinet; conuenire cum restitutionibus Repulsas, aperto iure sug-71 geritur; † in vtrisq; si quidem obtinendis necessariò partium petitiones oportere præcedere in allegatis Ritibus 71. & sequentibus, ac ex notatis in d. pragmat. Cursu dilationū supponitur; Tùm quia, quoad repulsas, testes semper præsumuntur idonei; donec non probentur criminosi; vel iniqui; tùm etiam quoad restitutiones spectat; quia singulari iure illæ nituntur; de quo dic, vt latissimè dixi in nostro tract. de primo, & secundo beneficio considerat. prima.

72 Tertiò principaliter, quantum ad appellationes; dicendum breuiter est; petitas repulsas, omni earū odio circumscripto, per iudices omnimodo decerni debere, de eo siquidem certiorati cum sint; quòd si eas negent, statim non modicum partibus grauamen inferre intelliguntur; pro cuius purgatione ad appellationis remedium, grauatas partes confugere posse non est obscurum apud Panormitanum in cap. quam sit perniciosum in fine de vsuris, non aliter attentis his, quæ idem Panormit. contra deduxit in cap. nullus extra de præsumptio. cum re vera, ex eiusmodi negatione, & non admissione in defensionibus, quarum repulsam spetiem esse retulimus, grauari intelligerentur, iuxta præmissa.

Quæ conclusio ampliari potest; vt pro- 73 cedat etiam si coram eo iudice ageretur, qui liberum arbitrium in procedēdo protenderet; quia nec eo fretus repulsam negare posset; iuxta notata per Io. de Platea in §. 1. institut. de milit. testam. nu. 4. & plenius per Imolam in l. filius familias ff. de donat. num. 9. vbi contrarijs respondet, & benè.

At quia multis in casibus firmata supra 74 conclusio limitatur; quod loco aptiori in sequenti consideratione discussum est, propterea ibi uidere procurabis.

Mirabilem tamen Repulsæ negatæ effectum; hic minimè volui intermittendū; & est quidem † quod si petita per reum in 75 criminali iudicio, & capitali, Repulsa, Iudex illa non aliter concessa; Reum ad rigorosum Torturæ examen perduci fecerit; & is doloris impatiens, iuxta partis, & Fisci intentionem delictum, de quo impetiebatur, fuerit confessus; tunc eiusmodi confessio nulla, & inualida dijudicanda est; tanquam à nō plenè defenso exorta † intelligendo tamen, si reus aduersus 76 se examinatos testes ex capitalium inimicitiarum capite fuisset reprobaturus; quia tunc videlicet ex tali probatione introducta torqueri forsitan non potuisset, ex dictarum capitalium inimicitiarum notabilissimo effectu, & prærogatiua; de quo infra in quarta consideratione est videndum. Secus autem si ex alijs causis per rationes à Follerio adductas in praxi criminali in clausula, & si confitebuntur. num. 59. vbi in facti contingentia recurras; & facit quod optimè notatum est per Clarum in §. fin. quæst. 64. num. 28. quòd videlicet si indiciorum copia, ad eorum reprobationem petatur, in tortura quæ forsitan comminata extitisset, supersederi debet; si tamen aliquid allegaretur, ex quo subsistente ad eam procedi non pos-

ſet. vide illum.

77 Quartò principaliter, dilationes, & temporis prorogationes in repulſis ſpectandæ ſunt; & primò quantum ad dilationes, cum reſtitutionibus repulſas reſpondere, ſatis ex præcedentibus liquet; cum vtrarumq; vtraq; dilatio eiſdem terminis concludatur; Namq; quemadmodum in prima reſtitutione, ſeu beneficio medietas aſsignatæ dilationis in probatorio, & primo termino indulgetur, & in ſecundo medietas eiuſmodi aſſignatæ in primo; ita quoq; in prima repulſa eadem primi termini medietas aſſignatur; & in ſecunda medietas ſimiliter dilationis aſſignatæ in prima, vt in d. pragmatica curſu dilationum expreſſim dicitur.

78 Si verò de prorogationibus quæratur; longè reprobationum dilationes ab his, quæ in reſtitutionibus obtinent, ſecernuntur; † Nam in his, quia odium, vt dictum eſt, verſari intelligitur; vti in odioſis paribus, de momento, ad momentum tempora computantur l. in omnibus ff. de action. & obligat. & in l. auxilium, vbi Bald. ff. de minoribus, & per Gloſam in l. 3. §. minorem ff. eod. titulo; quod non aliud fermè nobis inſinuat; † niſi, quòd teſtes ad reprobandum inducendi intra præfixos terminos recipi, & cum effectu examinari debent, vt per Cauenſem in d. pragmatica curſu dilationum num. 14. Caualcanum in iudiciali deciſio. 46. nu. 329. & alios pleniſſimè allegatos per Farinacc. de oppoſit. contra perſo. teſtium quæſt. 80. oppoſit. 37. num. 77. 79. & 80. † cum in cæteris alijs ſatis ſit; ſi teſtes in ſtatutis terminis citentur, & iurent, iuxtà notata per Minſing. in obſeruat. camerali 57. num. 3. & 10. cent. 6. quicquid in cõtrarium iuerit Ritus Magnæ Curiæ 79. quo termino decurſo, non niſi docto de legitimo impedimento; vel quia parum poſt terminum petatur examen; illud permittitur, iuxta notata per Cauenſem in pragmatica reſponſionibus ſub titulo de ordine iudicio. num. 15. & hoc quia paria cenſeantur fieri aliquid in termino, vel parum poſt, ſecundum Gloſam in l. Pomponius §. ratihabitionis ff. de procurator. & alios allegatos per Brunorum in compendio vtriuſq; iuris reſolutorio in verbo fieri aliquid, † licet hodiè ex recepta praxi, etiam citati in termino tantum ſi ſint, examinari poſt terminum valeant, vt habes in Ritu 149. vbi notatur per Ebolitanum num. 3. & per Aufrerium in additio. ad Cappellam Tholoſanam in quæſt. 116. ſequitur Rota Bononienſis in concl. ij. num. 5. Cornazzanus deciſio 555. num. 2. Angelus de Vbaldis in quæſtione de teſtibus in tractatuum tomo 4. fol. 76. Alfanus præceptor in auth. ſi quis in aliquo documento C. de edẽdo nu. 20. & Grammaticus in pragmat. incip. crimina ſub eod. allegato titulo de ordine iudicio, num. 3. vbi alios allegat.

Quinnimò, & rem vt omnem concludamus; † Teſtes ſemper ad concluſionem vſq; examinari poſſe, ex clement. 2. de teſtibus inſinuatum eſt. apud Ebolitan. in d. Ritu 149. & Capicium in eius deciſ. 90. num. 3. & vt quid aliud vltra dicas, etiam ipſo in publicatione termino præfigendo poſſe eos examinari, communis practica docuit; dum dicitur, infra quem valeat pars examinare teſtes in termino citatos, quicquid ſecus ſenſerint cumulatiſſimè allegati per Farinaccium in d. quæſt. 80. oppoſit. 37. num. 78.

84 Aduertendo tamen; quòd vbi quoad dicta tantum reprobatio concipitur; quia ea non tanto odio colligetur; vti, ex prædictis, perſonarum altera; ea etiam termino elapſo compleri poterit; prout titubans quamuis in d. deciſ. 62. num. 4. & 5. Capicius notauit.

85 Aduertendũ nihilominus vlterius eſt; quòd licet de ſupra expoſito iuris rigore poſt terminum, quoad perſonarum reprobationem, examinari teſtes non poſſint; tamen ſi obiectus aliqui, vel crimina non benè in teſtes determinata fuerint, eorum poſt terminum poſſe declarationem fieri, extra pugnam eſt; vt dicitur poſt deciſionem Rotæ primam ſub titulo de accuſatio. in nouis; ex eo, quod nihil de nouo facere intelligatur, qui declarat. per text. in l. hæredes palam §. quod verò quis ff. de teſtamentis. licet cõtra ſentiat Veſtrius

lib. 5.

lib. 5. cap. vltimo num. ij.

Sed & quantum ad eandem personarũ reprobationem attinet; licet quia odiosa sit, iuxta communes regulas, restringenda veniat, vt in cap. odia de regulis iuris in sexto, & in l. cum quidam ff. de liberis, & posthumis, cum similibus, ac proindè verissima sit de testibus post terminũ non recipiendis firmata conclusio, iuxta Panormitani tradditionem in d. cap. licet dilectus; de quo, & per Ioseph. Lodouicum in sæpè allegata decis. Perusina 86. num. 15. † tamen vbi iusta aliqua causa intercederet; quæ fortasse faciendum examen retardasset, vtputa iudicis factum, vel si cum testibus manifesta pugna intercessisset, ac etiam iudicis compulsorijs contra eos fuisset vsus; tunc quidem prorogari examen posset; prout habes in vulgato Ritu 73. in fine, & per Marantã in d. actu 13. num. 21. Follerium in clausula concedatur Repulsa num. 12. & Scaglionum in Ritu 276.

86

87 Tu tamen, velim, vlterius consideres; quòd in ipso casu testium renitentiæ, ego præmissam limitationem non probo; nisi in fauorabili tantũ dictorum reprobatione; prout benè per Nouissimos in vulgata Glosa momentum num. 15. & 16. † & hoc ea ratione; quia testes ad probandum aliorum crimina, & defectus citati, & non comparentes, vti renitentes, non possunt ad deponendum compelli, vt habes apud Cappellam Tholosanam in eius quæstio. 431. & ibidem plenè per Aufrerium addentem, Clarum in §. fin. quæst. 24. n. 22. & Follerium in praxi criminali canonica cap. 8. nu. 13. dic, vt per eum.

88

89 Vndè tu & aliud discrimen inter reprobationes, seu repulsas, & beneficia colligis, cum in eis testium renitentium compulsiones haberi non possint; quæ passim in beneficijs exercentur, & de ante dictis habes optimè per Albericum de Maletis de testibus cap. 6. num. 41.

90 Vlterius alia ex prædictis descendit cõclusio; quòd si elapso in repulsis termino testes amplius examinari non possunt; ergò multò minus termino dierum post publicationem decurso, ad ipsam nempè petendam repulsam præstituto; eadem repulsa peti poterit. per vulgatam illã Philosophi in Analiticis propositionẽ; quòd si de quo minus videtur inesse, inest; ergo, & de quo magis; quarè applicando; si dato termino ad reprobandum, & eo elapso; quo casu videbatur ad examinis, alioquin fauorabilis, expletionem posse procedi; illud per supradicta non permittitur; ergò, & multo minus, & sic nullatenus post terminum petita repulsa admittenda erit; & ratio præmissorum in eo depræhendi posse videtur; quòd facilius quid odiosum semel permissum, quò ad exitum perducatur, ex indulgentia protelari possit; quàm quòd tempore sublatum est, nulla nisi mali præsumptione adiutum quod veniat concedendum.

At quò præmissam quæstionẽ exactiori calamo absoluamus; reprobationum tempora in vniuersum, sed breuiter, repetenda duximus; & primò pro angulari veluti lapide, supponendum est; † testium reprobationes regulariter post factam in causa publicationẽ; ac didicita testificata sibi locum vindicare. Ad quod Bartoli dictum accedat in extrauaganti ad reprimẽdum in verbo figura in vers. an requiratur publicatio † vbi etiam in causis, in quibus omni postposita iudicij figura proceditur; necessariam publicationem notat; illo pro constanti posito; quòd vbi testes non publicantur, reprobari nequaquam possunt; quod ipsum, vti intelligendum sit, infra dicetur † ea enim attestationum natura est, vt non publicatæ discuti, ventilariq; non valeant, cum antè soli iudici apertæ intelligantur; quarè succedit, quod id † quod vno tempore fieri debet, in aliud expediendum transferri nõ congruit: cum, præfixum quod est, attendi, expectariq; iam instans debeat, vt in l. cum pater §. à filio ff. de lega. 2. & habes per Baldum §. ius autem ciuile nu. ij. institut. de iure naturali.

91

92

93

94

95 Diximus primò regulariter à publicatione infra patere reprobationibus locũ, vt intelligas ad eius restrictionẽ aliquos dari casus, in quibus ea non aliter expectata, ad illas deueniri potest, & primò, quia

quia ad duo reprobationes ferri, in præcedentibus deduximus, vtpura contra testium personas, pro vno, & eorum attestationes, seu dicta, pro altero † supra positam regulam pro nunc in dictorum extruenda reprobatione locum habere dicimus; & hoc non ex alio; quàm quòd testium dicta antè emissam publicationem partibus semper dubia, atq; ignota persistant, iuxta supradicta; vt intelligas, à contrario sensu arguendo; in personarum reprobatione illam deficere; vt quæ ab ipso citationis initio testium notitia procedente, antè publicationem fieri non prohibetur, vt habes per Capiciũ in vulgata decisio. 35. num. 3. & Sciaticum in cap. 17. num. 35.

96

97 Quod ipsum præterea dupliciter posse contingere tibi volumus animaduersum; & quidem primo modo, si examinandos testes præuidens, ex legitimis causis, à iudicio debere repelli efflagites. Secundò verò, si aduersus quos examinatos intellexisti, ad eorum penitus fidem perdendã, aut comminuendam aliqua probare contendas.

98 Quantum ad primum; non ex omni per æquè causa, quæ litiganti obuiam fit; testem reprobare is poterit; ne in causa deponat; sed ex quibusdam dumtaxat, legibus comprobatis, ac benè visis, de quibus, si quæratur, † communi quidem iure inspecto, erant, infamia, excommunicatio, seruitus obiecta; quæ manumissionis scriptura munita non foret; ac capitales inimicitiæ, quæ omnes exceptiones, vbi obijcerentur, nullo modo reseruari poterant, sed eis notatos testes, re integra, in totum repellebant; vt habes per Crottum in tract. de testi. citata parte 8. num. 7. Io. Andream in cap. ex parte de testibus, & latè per Gabriellium eod. tit. conclus. 19. & Menoch. in allegato casu 239. num. 12. & 13. vbi idem in qualibet alia simili exceptione, vel notoria, vel quæ incontinenti probari possit, quod dictum est, obtinere confirmat, & per Grãmaticum in decisio. 45. num. 15. & Baiardum ad Clarum in quæst. 53. in princip. in vulgato §. fin. & diffusè per Alexandrũ de Neuo in consil. 5. per totum.

99

100 Hoc tamen nostro Regni iure, quod de repellendis in totum testibus dictum est; in capitalium inimicitiarũ dumtaxat obtinere, omnibus alijs ad merita reseruatis, dispositum legitur per Ritum 282. vbi Ebolitanus, Grammaticus in decisio. 86. num. 2. Abbas in cap. cum oporteat de accusatio. Iosephus Lodoui. in d. decisio. 86. nu. 12. Rota Bononiensis in conclus. 7. incip. obijciebatur, Crottus in d. 8. parte num. 9. Baiardus ad Clarum in quæst. 24. num. 25. & Menoch. in d. casu 239. nu. 8.

At ad iuris communis causas redeundo, de excommunicatione habes in cap. Pia de except. in 6. & in Ritu Curiæ 236. vbi Ebolitanum videas num. 29. quid in hoc Ritus distet à communis iuris dispositione; de qua in d. cap. Pia. De seruo rursus habes per Glosam in cap. cum causam de testibus per text. in d. auth. si testis productus C. de testibus, in d. auth. de testibus in allegato §. si verò, & Lanfranc. in d. cap. quoniam contra num. 49.

101 Limitando tamen, vt non procedat; quantum ad seruum attinet, vbi seruus iuraret se habere suæ manumissionis testimoniũ in alia prouincia, vt per Menoch. in d. casu 239. num. 7. De infamia verò loquitur Io. Andreas in d. cap. ex parte. Tandem de capitalibus inimicitijs sunt iura in l. testium de testibus, & in d. auth. si testis productus, & in auth. de testibus in d. §. si quis verò.

102 At rursus antè quàm à prædictis recedamus, de pluribus quærere non incongruit; & primò quid iuris dicendum sit, si prædictarum exceptionum aliqua contra inductum in testem, nempè Clericum obijciatur? ad quem videlicet eius exceptionis spectabit cognitio? Dicas ad eius ordinarium eam fore remittendam; prout per iura in cap. tuam de ordine cognitio: & in cap. 2. de solution. voluit Lallus de Tuscia in vulgata constitutio. in pecuniariis. num. ij.

Secundò quærò; vbi acciderit ob testiũ repulsionem ex causa excommunicationis, Actorem ab intentione, & instituta actione cadere; nunquid ex regula l. qui accu-

accusare C. de edendo reus siuè criminali, siuè ciuili iudicio lacessitus simpliciter absoluendus veniet? Dicas, quòd non; debet enim addi, & notari in sententia per iudicem; quòd propter testium ex causa excommunicationis, repulsionem factam, reus absolutus sit, seu absoluitur; ad hoc, vt quando eos absolui contigerit, per eorum examen legitimè recipiendum talis absolutoria retractari valeat; Benè verum tamen est, quòd tempore nouæ eorum productionis erit liberum ipsi reo aduersus alios obiectus formare, & probare; si quos pati probari posit; prout latè hæc omnia ex Regni cap. patent incip. nè per exceptionis anfractum.

103 Tertiò, & postremò quæro, quid iuris erit; præmissa super his contra testes protestatione, nihilominus ea non attenta; testes examinati sint? Dicas magnum ex ea effectum prodire; Nam examinati ipsi alias non examinandi, alijs non concurrentibus in criminali iudicio nullum indicium importarent; pro quo videas notata per Baiardum ad Clarum in allegata supra quæst. 24. num. 41. 42. & 43.

104 Sed ad secundum supra positæ distinctionis, seu diuisionis membrum decurrendo, contra examinatos testes obici posse; & capitulari eorum crimina; quò minus eis credatur, palam est; & præsertim, si aliqua calumniæ præsumptio intercedat, vt fraudibus aditus præcludatur, ac litium sit finis arg. l. vltimæ C. de fide instrumento: etiam antè publicationem repulsa haberi poterit; prout expressim eius rationis intuitu, in allegato cap. cum causam, illam extrui Summus Pontifex demandauit; deduxitq; Lescut in suo tract. de testibus in vers. sed allegat. hæc præsens Glosa in tractatuum tom. 4.

105 Tandem prædictis, & alium subnectere casum, non ab re esse duximus; quòd si fortè examinati sint testes; quorum crimina, & defectus per decrepitos, morituros, aut longa, & necessaria absentia absfuturos rescientur; Tunc eiusmodi necessitate dictante, etiam non expectata publicatione, reprobationes fabricari potuerunt, vt voluit Panormit. in d. cap. ex parte num. 8. in vers. quarta est opinio; quem refert, & sequitur Menoch. in allegato casu 239. num. 14. † quæ omnia quoad personarum reprobationem intelligenda esse, ex præcedentibus repetas; cum quoad dicta, pro obiectibus formandis articulorum, & attestationum copia exigatur; & tamen quantum ad attestationes publicatio requiritur, vt partibus communicari valeant. 106

Quantum ad articulos verò † eorum copia in S.R. Cócilio non datur antè publicationem, neq; in alijs Curijs; nisi ad effectum formandorum interrogatoriorum, vt hic Capuæ; dic, vt infra latius. 107 † Et in summa ita legimus, & practicari attestatum est de stylo Romanæ Curiæ, videlicet repulsam antè publicationem, quoad personas tantum concedi. vt testatur Iosephus Lodouic. in decisio. Perus. 73. num. 7. 108

Quod tamen supra dictum est; Dictorum nempè reprobationem nullo modo antè publicationem fieri posse; id ea ratione diximus, quia ad publicationem vsq; illa construerentur, † vndè illud in consequentiam deducitur; quòd cum in criminalibus causis, quò de commissis delictis per accusationem, aut aliter delatis, Curia certioretur; antè omnia deliquentibus ipsis non auditis, probationes recipiantur; & sic testium dicta enixa, effectaue sint; meritò, quoad eas, & personarum, & dictorum simul reprobatio haberi potest; dum media iudiciali repertorum concessione, & testium personæ, & dicta, quasi accelerata publicatione reis eduntur, iuxta text. in cap. qualiter, & quando il secundo §. debet igitur de accusatio: † emissis tamen per eos, renũtiatione futuræ repulsę post publicationem competentis cum iuramento; ac declaratione illa, qua dicunt se testes Curiæ habere pro citatis, & legitimè repetitis, † quia alias dicta tantum non etiam nomina concederentur, vt per Scaglion. in allegato Ritu 276. Antonium Nigrũ in cap. Regni incip. si cũ sceleratis n. 49. 109 110 111

quod

quod, & in hæresis causa obtinere voluit Glosa in cap. vltimo per illum textum de hæreticis in sexto; cum distinctione tamen ibi posita, & per Carrerium in suo tracta. de hæreticis in §. circa igitur tertium num. 56. fol. mihi 237. † licet de stylo non seruetur, iuxta ea, quæ latè prosequitur Farinaccius in tract. de indicijs quæst. 39. num. 88. & Campegius in regula 378.

112

Quantum verò ad futuræ repulsæ faciendam renunciationem creditur pertinere; aduertendum est; non sat esse iudicanti talem renunciationem simpliciter ab inquisito excipere, vt ad reprobatorios articulos formandum, & producendum admittere eos debeat; sed vlterius requirendum est, quòd dicta renunciatio eius iuramento muniatur, vt optimè deduxit Ebolitanus in allegato Ritu Curiæ 282. Follerius in d. clausula concedatur repulsa num. 8. & per Nouissimos in d. Glosa momentum num. 7.

113 Vndè illud colligere in facto esset; quòd si quis non præstito eiusmodi iuramento, antè publicationem, vt communiter fit, ad repulsam admitteretur, iterum ad eandem se post publicationem admitti petere posset, † prout illum in effecto casu ad eam admissum Sacri R. Concilij decreto, referente Nicolao Francisco Constantio, tunc Regio Consiliario dignissimo in causa quorundam de Acerris, meminit Scaglionus in d. Ritu 73. & 74. † & Ratio est, quia his, quæ ad defensionem spectare existimantur, non facilè renunciari intelligatur; vt meritò propterea iuramenti grauitate sustinenda veniant, iuxta vulgaria; & proindè cauti iudices esse debēt in faciendo excurrere defensionibus præscriptum terminum in causa, vbi mortis pæna, vel altera corporis afflictiua locum habere posset; renunciatione qualibet per reos facta non obstante, iuxta notata per Gomesium variarum resolutio. to. 3. cap. 13. sub num. 33. & Afflict. decis. 391. numero 9.

114

115

116 At nunc, vt ad id, ex quo diu recessimus, redeamus; quia à publicatione regulariter, reprobationum facultates incipere constat; pro instituti nostri ratione, vsq; ad quod tempus illæ extendantur, ac peti possint, breuibus disseramus. Et in hac ipsa re; si vulgatam pragmaticam cursu dilationum attendamus, † indubium est; quòd si elapso in publicatione dierum octo adiecto ad accipiendum copiam termino, ea petita non sit, vt peti ibi mandatur, quòd amplius peti non poterit; Et si non potest repulsa obtineri, sequitur idem de repulsa repulsæ dicendum, † cum sit ad primam terminus subordinatus; vndè ad eam non nisi per primam deuenitur, tanquam per ostium; modò tamen infrascripti termini seruentur, videlicet quòd aut † in prima repulsa, eius termino decurso, extructæ probationes apparent: quia in ea, ipso iure, publicatum intelligebatur; tunc alio dierū octo decurso termino ad extructas illas percontandum statuto, die sequenti repulsa repulsæ petenda erat; quòd si non erant extructæ; tunc die sequenti; post finitam dilationē præfixam in prima peti secunda debebat; & sic repulsa repulsæ prout ex dictæ pragmaticæ lectura apparet; alias non vltra ad eas concedendas procedi poterat; & rationabiliter quidem † cum ad certum tempus, quod est permissum, illo elapso prohibitum censeatur, vt in l. statu liberum §. si quis seruum ff. de legat. 2. & plenè per Bartolum exemplificantem in Consil. 100. incip. à Domino Cyno num. 5. & quæ latè de primo & secundo beneficio considerat. 1. & 5, censuimus, vbi videndum.

117

118

119

120

121 Si verò attendatur Ritus Magnæ Curiæ secundum ordinem Thomæ Grammatici 56. Repulsa infra decem dies à die consignationis copiæ post publicationem decurrendos petenda erat, & non vltra; prout hic Capuæ per nostros curiales seruari, & super eo per ipsos contendi video; licet plures, vel pauciores à iudice pro modicitate processuum, aut prolixitate, statui potuerint, iuxta ibi datam facultatem.

122 Si verò vltimo loco tribunalium vsum, & in spetie in his Sacri R. Consilij obtinentem praxim attendamus; ea semper concedi

concedi debet; quandocunq; tamen antè emissam in causa conclusionem petatur; 123 † & sic terminus conclusionis, qui multa passim in causis occurrentia terminat; de quibus alibi dixi, & habes per Minsing. in obseruat. Camerali 56. num. 2. cent. 6. etiam repulsis locum adimit; prout in d. Ritu 56. testatur Grammaticus, vbi ita in indiuiduo pluries iudicatum fuisse cõmemorat; quæ praxis multum æqua dignoscitur 124 † cum eò vsq; in causa cognoscere, ac cuiq; se defendere permittatur, vti in repulsarum explicatione fit; & in summa, iuxta præfatam sacri R. Concilij decisionem, etiam hodiè seruari Nouissimi retulerunt in d. pragmatica Cursu dilationum num. 14. habes per Ebolita. in d. Ritu, qui secundum eius computationem est septuagesimus nonus, & refertur in d. praxi sacri R. Concilij in Glosa momentum numero 3. & in Glosa repulsæ num. 5.

125 At illud quis hic loco quæreret; num si per beneficiorum petitionem, & concessionem in causa factam conclusionem reuocari contingat, possit repulsa ipsa peti, & concedi? quasi quòd ad eum casum res perducta intelligatur, in quo integra fiat petendæ, & fabricandæ repulsæ facultas? Et videtur quidem quòd sic, posse concludi; considerato paria esse aliquid penitus non fuisse, aut extitisse quidem, sed per rescissionem euanuisse, arg. l. non putauit §. non quæ vis ff. de Bono. possessio. contra tabulas. Quicquid tamen sit, contrarium verius creditum est; idq; non aliunde ratione petita; quàm quòd odiosum, vt supra dictum, repulsæ exercitium cognitum sit; vndè illud lactatum contra 126 legimus † ad omne aliud rescissam conclusionem proficere posse, præter quàm ad omissæ repulsæ constructionem, quòd optimè ex Bartoli traditione fulcitur in l. ab hostibus §. sed quod simpliciter ff. ex quib. caus. maio. dum ibi inquit. *Nonò restitutio debet concedi; ita quòd non præiudicetur alicui actui, aduersus quem non esset concedenda restitutio*, vt in l. 3. §. sed vtrum ff. de mino. sed ad omissam repulsam nulla legitur ordinata, & indulta restitutio; ergo, &c.

Ad idem pulchrè facit Baldi doctrina in l. per emptorias col. 2. in vers. quæro iudex statuit, C. sentent. rescindi non posse; quam notabiliter Romanus expendit in singul. 313. incip. Romæ † quòd si ad 127 probandam exceptionem aliquam particulariter fuerit assignata dilatio; & partis negligentia, exceptio ipsa comprobata non sit; deindè generalis terminus ad probandum statuatur; non poterit in eo omissa illa deduci; ergò cum in casu nostro terminus repulsæ ad deducẽdos obiectus in indiuiduo præscriptus cesserit; non poterunt deinceps in beneficijs generaliter ad probandum, spetiali iure, assignandis, ipsi omissi defectus contra testes deduci, & probari.

Quæ sic posita conclusio ampliari etiã 128 potest; vt nè dum in beneficijs aduersus primos testes reprobationes extrui non possint; sed nec etiam contra ipsosmet principales litigantes; quia fortasse aduersus eos talia inducerentur; quibus probatis, à prætensis iuribus caderent, cum distinctione tamen considerata per Dominum de Franch. in decisio. 421. vbi videas; nè ibi plenissimè dicta transcribere deprehendar; & tantò magis, quia de hoc notaui aliqua in tract. de primo & secundo beneficio considerat. 4. & habes per Stiaticum in vulgata praxi Bononiensi cap. 18. num. 42.

At indè illud consequens est; an saltem 129 minor ad eiusmodi omissas repulsas restitui valeat? & quòd neganda eidem restitutio sit, quasi in odiosis versari deprehendamur, ex Io. Andreæ, & speculatoris sententia deduxit Capella Tholosana in eius quæst. 53. quam refert Follerius in vulgata clausula concedatur repulsa num. 23. ad quod & illud pariter ponderari potest † quòd nec similiter, eadẽ odij 130 ratione considerata, Accusatoris, vbi minor partes sustineat, post publicationem factam, aduersus inquisitum testes alios inducere, & examinare poterit, iuxta allegata per Stiaticum in allegato cap. 18. d. num. 42. de quo vide quæ diximus infra in sequenti considerat.

131 Quicquid tamen sit, duram esse sententiam; si ex ea exclusione minor læderetur, videtur dicendum, & proindè dupliciter temperari illam posse subiunctum est, & primò distinguendo, vt apud Boerium in sæpè citata decisio. 245. quòd aut minor, ex omissa reprobatione, causæ iacturam sustineret; & tunc quòd ad illam restitui debeat, concludi potest; † aut verò causa ipsa commodè absq; reprobationibus deciditur, & tunc neganda iure veniat per text. in l. ad probationem dominij C. de probat. & secundum præmissam distinctionem fuisse in parlamento conclusum ibidem testatur.

133 Sed re vera attendendo temperamentum præfatum, nihil aliud est, quàm explicatè dicere: Ad omissam repulsam minorem restitui debere; cum, vt plurimum ex necessitate petatur; † verùm si manifestam calumniam eius petitionem fouere, iudici videatur, quòd tunc negari debeat; quo casu etiam maiori cuiuis illam suo tempore exquirenti negari posset, vt infra in sequenti consideratio. latius.

135 Vel secundò dici potest Capellæ sententiam intelligendam procedere in odiosa personarum reprobatione, non item in ea; quæ aduersus dicta concipienda esset, quam meram, contra testium iniquitatem, defensionem continere, & protendere supra diximus, & ad defensionem minorem restituendum esse, non est dubium; vt habes apud eandem Cappellam in d.quæst. 53. in fine, tu tamen de hoc vltimo videas per Aufrerium ibi.

136 Illud tamen post prædicta, non duximus omittendum; quòd multi sunt casus; in quibus conclusione rescissa, reprobationibus aditus esse potest, & primò, vbi pars altera in termino obtenti beneficij optimè suas extruxisset probationes, illas per prius in probatorio factas confirmantes; quę parti nunc repulsam petēti præiudicium attulissent; cum alias antè has in beneficio cumulatas probationes, quæ in probatorio extructæ erant; illarum discussione facta, eidem nullatenus officere potuissent; quo casu, æquitate ita dictante; quæ semper in sacri R. Concilij manu depræhenditur, datam illam retulit Capicius in decisio. 157. & dixi in tracta. de primo & secundo beneficio considerat. quarta num. 53.

137 Sed, & mihi in alio casu, eadem æquitate dictante, non obstante termini lapsu, eandem concedi debere, interdum placuit; vtputa in casu, vbi quis plenam probationem, iuxta causæ naturam affectasset; ac testium qualitate repugnante, vel attestationum obrepente inuerisimilitudine, in illa defecisset; quo casu ad suppletorium iuramentū decurrendum putasset. Nā tūc posset pars altera, quamuis extra terminū, repulsam petere; ex quo si antea non petijt, ex eo prodijt, quòd Actoris probationes Reus ad sui condemnationem, non satis esse, cognouerit. quam ego controuersiam in facto habui, & ex dicta sacri R. Concilij decisione coram consultore electo virtute regiæ decretationis concedi debere defendi † considerato repulsam in proposito nihil odij præseferre, sed meram naturalis defensionis rationem; & consequenter fauore niti; vt proindè non eo iure; quo odia coercentur, afficienda veniat; at potius, quo probationes non coangustari; sed ampliari solent l. quoniam C. de hæreticis, cum similibus.

Tertiò & vlterius omittendum non est; quòd non solùm in Capicij præcitato casu, conclusione rescissa, repulsæ locus tribui potest; sed etiā si post factam † conclusionē testes adhuc alios examinari cōtingeret: Nam vbi examē intercidit, ibi & repulsa supponenda est; cum omnes testes quantūcumque omni exceptione maiores prodeant, & vt Cassaneus voluit in tract. Gloriæ mundi parte 5. considerat. 6. † etiā si esset vnus imperator reprobationi respectu duarum primarum à nobis supra expositarum habitudinum, subiacere debeant; ita docente Afflicto in Regni constitut. incip. si quis in posterum num. 26. quem refert, & sequitur additio ad Cauensem in d. pragmatica Cursu dilationum num. 16.

141 Hinc altera similis quæstio decidi depræhenditur; num videlicet testes in primo, &

mo, & secundo beneficio examinati reprobari valeant? Nam ratione prædicta attenta, benè poterunt, cum examine in eis supposito, non speciali, sed communi iure aduersus examinatos reprobationis facultas insurgat. Nec officit, vt supra non dari ad repulsam restitutionem, iuxta alibi à me latè considerata; † Nam illa procedere intelligenda sunt, quoad testes in principali causæ termino examinatos; non autem quoad nouos deindè in beneficijs productos; pro quibus non reprobandis nullum fit in iure obuium priuilegium; vndè repulsæ inhærendum suadetur; quod o. timè Nouissimi deduxerunt in d. sexta parte in Glosa aduersæ numero 5.

142

Verùm huic ita positæ conclusioni recepta cõsuetudo pugnare videtur; ex diutina etenim interpretatione nunquã contra in beneficijs examinatos testes admissam reprobationem vidimus; tantò magis, quòd eius petendæ certa meta præstituta est, vt videlicet bis tantum peti possit, & concedi, vt supra latius deduximus, ergò vlteriùs, nec peti, nec concedi debet, sed in contrarium est veritas.

Præterea, quòd in beneficijs similiter reprobationes obtinerent, in eis præfata odij causa repetita, speciali nota dignum erat, sed illud omissum aduertitur, ergò neglectũ fuisse censendũ est, iuxta textus vulgatam dispositionem in l. item apud §. hoc edictum ff. de iniurijs, cogitabis, & dicas, vt supra.

143 Rursus etiam post conclusionem haberi posse testium reprobationem, affirmare valebis, vbi conclusione ipsa in causa facta; testes in probatorio nulliter fortasè examinatos repeti contingat; † Nam tunc, quia repetitione concessa, alij simul de nouo examinari possunt; iuxta plenè deducta per Tessaurum in decisio. Pedemontana 38. nu. 2 & Antonium Gabriellium in lib. 1. communium conclus. in titulo de testibus conclus. 21. num. 18. benè etiam reprobari poterunt, vt notauit Scaglionus in allegato Ritu 276. in principio, & alij plenè cumulati per Farinacc. de opposit. contra dicta testium quæst. 66. parte 8. nu. 304. & de antè dictis aliquid per Vrsillum in Afflicti decis. 33. num. 2. Verallum in decis. 287. parte 3. in littera T. & Rolandum in consil. 52. num. 18. vol. 4. & Maria. Socin. in tract. de testibus num. 29.

144

145 Limita quoq; non procedere in causis criminum, in quibus, cum nunquam concludatur, in defensionibus perquirendis, iuxta notata per Capicium in decis. 81. Clarum in §. fin. quæst. 61. Baiardum ad eundem quæst. 49. num. 41. & 42. & Farinaccium de opposit. contra examen testium quæst. 75. cap. 5. num. 264. propterea semper repulsa competit, ritu non obstante, vt per Follerium in clausula concedatur Repulsa num. 15. & Baiardum ad Clarum quæst. 49. allegata numer. 39. & 40.

146 Vlterius coangustari potest supradicta conclusio, vt non procedat in reprobatione per scripturas facienda; Nam cum earum productio, & post conclusionem patere intelligatur, † & etiam post viginti quatuor horas post expediendarum causarum in sacri Regii Concilij valuis affixam listam vt per Regiam pragmaticam dispositum legitur, & à nobis plenè notatum est in tract. de 1. & 2. beneficio considerat. prima circa finem; propterea, omni cessante subornationis suspictione, iure eis crimina, & defectus ipsorum testium ostendi & demonstrari poterunt; vtputa per sententias & acta; quibus quis periurius, infamis, fur adulter, & alijs notis denigratus effertur, vt habes apud Milleum in allegata commissione prima, fol. 108. in verbo incusaretq; num. 12.

147

148 Notandum tamen est hic pro coronide, quòd hodiè vti attestantur Addentes ad Troisium in d. pragmatica Cursu dilationum sub num. 28. non obstante pragmatica prædicta, & Ritu 77. etiam post conclusionem repulsæ conceduntur, vide per eum.

149 Sed, & illud hic etiam duximus memorandum, de quo infra latius, quòd si petita repulsa sit, & iudex ex suo motu ad eam ipsum petentem admittere noluerit; tunc etiam post sententiam peti pote-

rit, iuxta notata per Boerium in consil. 11. incip. visis processu, & saluationibus nu. 2. Tu verò dic, vt infra in sequenti consideratione.

149 Quintò principaliter; quantum ad positiones, & capitula spectat; longè inter se reprobationes, & restitutiones diffidēt; Nam in beneficijs, ex recepta praxi, de qua plenissimè dixi in tract. de primo & 150 secundo beneficio considerat. 3. † possunt poni tàm noua, quàm vetera, & etiam de directò contraria capitula, quod tamen in repulsis improbatur, quia articuli essent impertinentes, si factum principale respicerent, vt habes in pragmatica incip. contingit sæpè citata sub titulo de ordine judic. dic tamen de hoc latissimè in sequenti considerat. optiori loco.

Sextò principaliter; si de testium nominationibus in partibus facienda stante eorum absentia, & eorundem ibidem habēda audientia loquamur; non videtur primo loco quantum ad Rituum dispositiones pertinet, inter nostras reprobationes, & quas eis contulimus restitutiones, discrimen considerari; imò conuenire potius; 151 † Nam quemadmodum in repulsis, omnia in earum terminis peragenda esse deductum est; ita quoq; & in beneficijs, ex antiqui Ritus 71. dispositione, incip. item quod in causis; dum ibi expressim dicitur; quòd testes iurati examinari debeant infra terminum datum tàm super primo, quàm super secundo beneficio; ita quod de cætero non audiantur; quarè cum vltra processerit, audientiam præcludendo, videtur, quòd omnem aliam in terminis probatorijs peti solitam, & de iure debitam dilationem remouerit, & 152 consequenter in partibus occurrentes testium nominationes † quarum occasione pro locorum distantia, ad tres menses vsq; dilatio, iure indulgeri potest, vt in pragmatica post prædictas de ordine iudicio: citato titulo.

153 Quicquid tamen sit, contrarium in beneficijs obtinere, per multa in dicta de primo & secundo beneficio consideratione prima à num. 94. vsq; ad num. 104. de-154 monstrauimus, vbi videndum. † Quarè odij ratione in reprobationibus supposita, in eis dumtaxat intermittendas nominationes esse, & proindè testium audientiam non est obscurū in vulgato Ritu Curiæ 241. vbi per Ebolitanum, & habes per Glosam in vulgata Regni constitutio: in pecuniarijs in vers. quo quidem casu vbi Afflictus, & in auth. apud eloquentissimum C. de fide instrumento: meminit Vrsillus in sæpè allegata Afflicti decis. 351. num. 3. idem Afflictus in Regni Constitut. animalia num. 2. & Scaglionus in d. Ritu 276. in princ.

155 Intelligendo præterea idem obtinere, & in repulsa repulsæ, vt per eos, & Cauensem in d. pragmatica Cursu dilationum. Ad quod facit; quòd si alicui in vna causa committatur testium receptio, & examinatio in partibus facienda † nō po-156 terunt per eundem recipi alij testes ad iam examinatorum per eum reprobationem, vt per Farinacc. de opposit. contra examen quæst. 77. cap. 1. num. 65. benè tamen solitam emitti protestationem aduersus eorum personas, & dicta, ad effectum futuræ repulsæ admittere poterit, vt per Florian. in l. si fundo §. vsusfructus ff. si vsusfructus petat: num. 14. & plenè per Troisium in d. pragmat. Cursu dilationum num. 19. & Afflictum in cap. si inter dominum num. 19. in tit. si de inuestitura inter dom. & vassall. lis oriatur. de antè dictis tamen dic, vt infra.

157 At vt vlteriùs rem ipsam prosequamur, an audientia præfata interdum committi possit, variè, ac multipliciter sanè nostri iuris interpretes responderunt; & primò Afflictus in d. Constitut. Regni, anima-158 lia, ita sentire depræhensus est, † quòd testium audientia in repulsa tàm de iure cōmuni, quàm Regni in arduis causis committenda non sit, secus autem in leuibus, ita æquitate ipsa dictante in leuibus, & negocij grauitate suggerente, in arduis; quia videlicet in eis maius periculum versari intelligatur, & idcircò cautius veniat agendum l. 1. §. sed, & si quis ff. de Carboniano edicto. Dictum est, æquitate dictante in leuibus, vt laboribus nempè, & expensis parcatur, quæ in extruendis tàm odiosis

odiosis probationibus fiunt intolerabiles.

159 † Et in summa non concedere illam seruasse suo tempore iudices Magnæ Curiæ loco allegato in constitut. in pecuniarijs num.7. Afflictus meminit.

160 Secundo loco Troisius in Ritu Curiæ 46. fuit in ea sententia, vt dixerit, illam curialibus committi posse.

Tertiò Lallus de Tuscia in d.Constitutione Regni in pecuniarijs num.3.dum ad Glosatoris mentem, negari in repulsis testium audientiam asseruit, contrarium statim de iure veriùs sibi videri testatur,

161 † dummodo examinandorum testium in partibus nomina edantur; per quos aliorum examinatorum contenditur fieri reprobatio. Super non nominatis verò, & non expressis; quòd neganda ea sit, allegat notata per Io. Andream in cap.in præsentia de testibus in sexto.

162 Quarto loco, pro duobus tantum testibus concedi audientiam, vsu receptum retulit Vrsillus in d. Afflicti decis. 351. & in summa, vt ad communis etiam iuris interpretes decurramus; Bald. in d.auth.

163 apud eloquentissimum † inter merè criminales causas, & alias, in quibus ad pœnam banni proceditur, distinguere compertus est, ita quòd in merè criminalibus eam concedendam non esse voluerit, in alijs pro affirmatiua aduertatur concludere, & re vera, illa prius relata Afflicti sententia, ex præfata Baldi distinctione excerpta videtur; si cõsideretur, merè criminales causas inter arduas computari, vt latè nos infra in secundæ partis Considerat. vnica 10. Requisito deduximus.

164 Aliàs verò; in quibus proceditur ad pœnam banni inter leues. Hanc eandem Baldi sententiam Salycetum etiam secutum in d. auth. apud eloquentissimum videre est, eandemq; de stylo seruari in Camera Imperiali meminit Minsingerius in obseruatio. 40. incip. fine pugna est, Cent. 3.

Præmissas tamen Afflicti, & Cauensis sententias ex professo Ebolitanus deprę-

165 hensus est in allegato Ritu 146. † Sed vti à propositis impugnationibus liberandi illi sint, vide apud Nouissimos in allegata 6.parte in Glosa terminus num.4. & 5. vbi optimè.

166 Vnum tamen addere placet, in quantum pro Cauense dictũ, quòd illud, quod à curiali fit de ipsius Curiæ ordine, adhuc tanquam factum in Curia censendum sit. Facit plurimũ, quod de obligationibus ab eis captis, passim notatur, videlicet, quòd tàm obligationes apud acta Curiæ stipulatæ in tribunali, quæ calore illo iudicij niti intelliguntur; de quo per Hippolitum in singul. 394. Mantuam in Apothegmate 337.& alios infra allegandos, ac paratam

167 executionem sortiuntur, † quam aliæ extra Curiam stipulatæ de ipsius tamen ordine, vti in Curia factæ calore eodem reguntur, & executionem habent, & hoc ex vulgata illa iuris dispositione in ore omnium, quòd omnia nostra facimus, quibus nostram auctoritatem impartimur l. 1. §. sed neq; C. de veteri iure enucleando, l. non solum ff. de iniurijs, & §. non solum instit. eod.tit.cum alijs allegatis per Afflictum pro præmissa sententia respondentem in decis.135.num.5. secutus est Pandus in tract.de præsent. instrument.par.3.

168 declarat. 14. num. 37. † licet contrarium velle aduertatur idem Afflictus in Regni Constitut. incip. Magistri Camerarij nu. 14. Vrsillus ad eiusdem decis. 3. num. 8. Marant. in speculi 6. parte actu 10. num. 19.& Paulus Marenda in consil.37.num. 10.& faciunt plurimum pro hac sententia scripta per Barbatiam in consil.53.nu.

169 24.vol.2.dum voluit, † quòd id, quod in iudicio fieri debet, non sustinetur, si extra iudicium fiat, etiam si iudicis præsentia interueniat, quia calor ille iudicij non cõsideratur.

170 Quicquid tamen sit, contrarium seruat consuetudo, & malè; cum mille falsitates concipiantur, & maximè, quod pro maiori parte ab illiteratis, & non Notarijs cõscribuntur, & stipulantur; quarè concludendo, ita pari ratione, & curialibus repulsæ committi poterunt.

171 Idq; ipsum tandem ex alio comprobari potest, considerando, quòd sicut delicta puniri, & ad hoc, inquiri, Reipublicæ expedit, ita quoq; innocentes immunes à

pœnis

pœnis reddi, vt in auth. vt præsides absq; vlla datione in §. proinde. Sed pro Fisci informatione, ad reorum punitionem intendentis, stante iudicum impedimento, Doctoribus, alijsq; examen committitur iuxta allegata per Farinacc. de oppositio. contra examen allegata quæst. 77. cap.2.num.114. Ergò idem, & in Repulsa ad eorum defensionem inducta dicendũ, vt per eundem loco citato num. 104. vbi multos allegat,& habes per Gayll. in obseruat. 96. num. 10. & 11. lib. 1. & per Curtium in tract. de testibus conclus.29. incip. testium receptio.

172 Quoad prædicta rursus attinet, si loquamur quoad Romanæ Curiæ stylum, supposito pro claro, non posse Commissarium destinatum ad examinandos testes ad eorum reprobationem alios recipere; tamen pluribus in casibus audientia haberi potest; & primò,quum spetialiter eidem Commissario reprobatoriorum examinatio remittitur cum alia specificæ dilationis assignatione, vt per Vestrium in eius praxis lib.5.cap.10. in principio, & lib.6.cap.vltimo num.7. quem refert, & sequitur Farinacc. in d. quæst.77.cap. 3. num.139.

173 Item eadem receptio absq; noua remissione fieri, & haberi potest, vbi ad totam causam examen commissum fuerit,vt per eundem Farinacc. in d. quæst.77.cap.1. num.65. circa finem.

174 Item, & vltimò vbi vellet testium corruptionem probare, vt per Vestrium in d. cap. vlt.num. 2.& Farinacc. ibidem num. 67. & ratio est;quia ex parte testium maximum versatur odium,& ex parte reprobare volẽtis maximus defensionis fauor, dic, vt per eum.

175 Septimò principaliter publicationes in repulsis intercedentes attendendæ sunt, & in eis, ex dictorum Rituum dispositione, nostras repulsas restitutionibus respõdere,facilè est animaduertere; Nam quãtum ad Ritum 71. & sequentes;quemadmodum in restitutionibus, earum terminis elapsis, si intra quatuor alios dies publicatio olim peteretur,à iudice in eis cõstructæ probationes publicandæ erant; vel saltim publicatio fiebat ad effectum procedendi ad vlteriora † & infra dictum terminum, si per partem petita non fuisset, tunc ipso iure facta publicatio intelligebatur, ita quoq; & in hisce nostris reprobationũ terminis elapsis si infra quatuor dies publicari non fuisset petitum; ipso iure publicatio exoriebatur; petita verò in eo termino à iudicante decernebatur. 176

Quantum verò ad pragmaticæ dispositionem attinet, ea exequatio intermissa legitur;dum circa repulsas; earum terminis elapsis, ipso iure publicationes factas, esse intelligendum, statutum est, quemadmodum, & ipso iure indultas, si peterentur, fuit antea ordinatum.

177 Quicquid tamen sit; hodiè secundum receptam praxim, videtur rursus ad memoratam Rituum dispositionem habitum fuisse regressum; Nam vti non decernuntur repulsæ, nisi petantur; ita nec in obtemptis illis aliqua fit publicatio;nisi partium altera instet.Licet in hac nostra praxi plus sit; quòd ad dictorum Rituum correctionem valeas considerare quia in eis si infra illud dierum quatuor spatium à termini lapsu computandum fieri non fuisset petitum, ex dictis ritibus ipso iure publicatum intelligebatur; quod hodiè prorsus exoleuit, cum nunquam, vt dictum est, publicatio fiat,nisi parte petente, & iudex pro suo mercennario officio illam fieri decernat. † Aduertendo tamen, quòd in prima & secunda repulsa non semper publicationes fiunt; sed quatenus probationes aliquæ in earum dilationibus extructæ appareant; Nam alias illæ nequaquam, vti superuacuæ exigerentur, quemadmodum aduerterunt Nouissimi in Glosa repulsæ num. 4. ex dicta pragmatica à contrario sensu argumentũ deducendo. 178

179 Vndè, vt concludamus; vides hanc nostram obtinentem praxim passim tùm ex Ritibus prædictis, tùm ex dicta pragmatica Cursu esse compactam;Nam petitiones, concessiones, & publicationes ex Ritibus sortita est; dilationũ verò subordinationes ab ipsa pragmatica, vt supra latius

latius expositum legitur.

Et vt tandem præsenti considerationi modum imponamus, pro Coronide duo subnotanda duximus, & quidem primum est in duo capita distinguendum, † atq; ipsorum alterum est; quòd non solum viuentes testes reprobari possunt; sed etiã mortui; quia vbi de aliorum agitur præiudicio; atq; testes pessimè egerint; satis conuenit; quòd nec ipsorummet mortuorum famæ parcatur; ac simul ad rei testatæ fidem discutiendam aduersus eos reprobationes concedi. † Non enim ad deducendorum criminum punitionem; quæ constat, morte sublata esse, ac Deum iam habere vltorem, illa intenduntur; Sed quò alijs, ex eis illatum damnum emendetur. Nec dicas cum mortuis litigium haberi non posse, † ac aduersus eos sententiam latã nullam esse per text. in l. in summa, §. vltimo, ff. de re iudicata, & notata per D. de Franchis in decis. 245. quia hæc omnia, non cum mortuis ipsis, sed cum producente, & viuente litigatore tractantur, vt in l; Lucius, ff. de infamibus, & habes per Baldum in l. vltima, C. de testibus, Milleum in allegata commiss. prima num. 19. & 20. Baiardum ad Clarum in allegata quæst. 53. nu. 20. Ebolitanum in Ritu 73. nu. 12. & faciunt notata per Castrensem in l. si veteris in fine, C. de fide instrumento.

Facit etiam ad prædicta, quòd alias notatum est, quoad declarationem, & commendationem memoriæ defuncti, casu quo quis fuisset de eo notatus, ex quo eius opinionem grauari contingeret, posse hæredem petere, & instare pro declaratione, quod defunctus tale obiectum crimen non commiserit, vt per Romanum in singul. 303. incip. pendente & Rauennatem in singul. 317.

Alterum verò est; quòd nedum testes per sensum visus attestantes super negocijs reprobari debent; sed etiam alij, qui per famam deponunt; quod dupliciter quidem intelligi potest, & sic primò respectu earum causarum, in quibus comprobandis fama valet plurimum, vt plenè habes per Mascard. in verbo fama; & in eis non est dubium per famam deponentes reprobandos esse. † Secundo verò respectu criminalium causarum, in quibus si de visu attestantes tantum per reprobationem consternerentur, relictis in suo robore alijs famam enunciantibus; posset de facili imminẽs tortura irrogari ex Butricarij sententia; quam refert, & sequitur Albericus in vulgata l. 3. §. eiusdem ff. de testibus. Foller. in sæpè citata clausula concedatur Repulsa num. 15. & Grammat. in decis. 11. num. 11. & magis; † atq; amplius testes de fama deponẽtes reprobandi in causa venenationis; cum constet in ea ipsos delictum in genere comprobare, vt per Marsilium in consil. 5. & alios allegatos per Nouissimos in praxi de cognitione delict. in proemio num. 42. & in cap. de homicidio simplici num. 15. Dũmodò tamen formiter fama probetur, iuxta notata per Bartol. & Hippolit. de Marsilijs in l. de minore §. plurimum ff. de quæst. vbi per Alexand. in addit. & quæ plenè congessit Claudius Tutius in allegat. sua 33. a num. 32. per plures sequentes, & antea Iacobus Nouellus in tract. defensionum Reorum in tit. an indicia pro reo danda sint a num. 35. per plures sequentes, & cæteris melius Iulius Clarus libro recept. sentent. 5. §. fin. quæst. 6. num. 14. 15. 16. & 17. eund. Hippolit. in singul. 477. num. 2. Socin. Iun. in consil. 148. num. 44. & 45. vol. 2. & Decium in consil. 429. num. 19. & in additione ad Matthesilani singulare 52. num. 10. Rolandum in consil. 49. num. 49. vol. 4. & Raudens. in tract. de Analogis cap. 3. nu. 265. & 266.

Secundum verò principale est, vt videamus; num super præsentatis in repulsa articulis possit eos producens pro releuatione ab onere probandi, petere depositionem ex aduerso principalis? Et in hoc breuiter † respondeas pro affirmatiua; cum non sit coangustanda probationum facultas, vulgata supra l. quoniam C. de hæreticis; atq; ita voluit Butricarius in tract. de testibus in cap. qualiter exceptiones testi opponantur num. 16. fol. mihi 18. Atq; hæc tumultuariè, quoad proposita,

posita, summatim adnotasse satis sit; Nam quæ ad materiæ absolutionem desiderantur cætera suis in locis, & considerationibus, Deo dante, pro more, subnectentur, ad eius Summi Creatoris laudem, & Deiparæ semper Virginis Mariæ, Francisci, & aliorum Sanctorum patronorum.

CONSIDERATIONIS SECVNDAE

RERVM SVMMAE.

1 *REgulariter omnibus repulsa concedenda est.*
2 *Exceptio firmat regulam in contrarium.*
3 *Multis ex capitibus repulsæ petitio cessat, & quæ sint.*
4 *Repulsa non solum reis, sed etiam accusatoribus datur.*
5 *Accusatores qui intelligantur.*
6 *Fiscus repulsam non habet.*
7 *Inquisitionis remedium in Regno ordinarium effectum est.*
8 *Inquisitio delicti naturam non alterat.*
9 *Fiscus nec absolutorias sententias per appellationis remedium impugnare potest.*
10 *Dummodo non sint notoriè iniquæ.*
11 *Contra iniquam sententiam Fisco datur recursus.*
12 *Inquisitis tamen appellantibus Fisco datur adhæsio.*
13 *Adhæsio Fisco competens quid importet.*
14 *Adhæsio Fisco datur parte non assistente, alias secus.*
15 *Fiscus licet nõ repulset, potest tamen se de testium conditionibus se informare.*
16 *Causæ cognitio in decernendis repulsis habenda est.*
17 *Iudicis partes quæ sint.*
18 *Iudex non debet permittere, quòd factum non releuat.*
19 *Actori non plenè probanti aduersus rei testes non concedenda.*
20 *Actore non probante Reus absolutur.*
21 *Quo casu negatiua probatio denegetur.*
22 *Reprobatur, & cur.*
23 *Nè quis ex testium falsitate lædatur, vti eis renunciare valeat.*
24 *Contra testes renunciatos petita repulsa non concedenda.*
25 *Obiectus à testibus met confessos non debet quis admitti ad reprobandum.*
26 *Demonstratæ rei non est adijcienda demonstratio.*
27 *Omnis reprobatio triplici ex fonte petitur.*
28 *Productus alias reprobari non potest.*
29 *Quos mores approbasti, amplius reprobare non potes.*
30 *Productus & ille, qui citatus tantum est, esse intelligitur.*
31 *Etiã si eo vsus non fuerit, quòd multipliciter ostenditur.*
32 *Productus cur non reprobetur, ratio.*
33 *Productus, qui ab vna partiũ productus, ab alia in tota causa examinari petitur, etiam dicitur. Fallit si productus re integra reuocatus fuerit.*
34 *Productus nec in alia quauis causa reprobari potest.*
35 *Etiam in criminalibus causis intelligendo.*

36 *Fallit,*

Di-

DE REPVLSA ET REPVLSA REPVLSAE PRIMAE PARTIS.

CONSIDERATIO SECVNDA.

REPVLSA QVIBVS IN VNIVERSVM CONCEDENDA, vel neganda sit, ac contra quos, deque vsu eius continendo, ne per calumniam petatur, ac de calumniantium pœnis accuratè differitur.

1 OMNIBVS concedendam esse reprobandorũ testium facultatem, ex antè scriptis, pro angulari veluti lapide, in huius nostræ considerationis exordio astruere non incongruit; Nulli etenim cum naturalis defensionis remedium denegare conueniat. Id ipsum tamen, & si ordinantis veritatis respectu, vti ad bonum directum sacrosanctum haberi oporteat, §. sed naturalia institut. de iure naturali; ex causis aliquibus nihilominus, pro hominum necessario vsu, principibus, alijsuè, quibus iuris statuendi, inducendiq. potestas fuit, benè visis, excoli, atque in parte constringi, frenariq. necessarium existimatum fuit, nimirum ex eo, quod, vt inquit poeta, cælum ipsum petamus stultitia, nitamurq. quotidiè, vel quæ simpliciter sunt bona, non dicam malis, fraudibusq. irretire, sed penitus ad communis vsque societatis internicionem corrumpere, & consternare, prout ex subijciendis liquidè apparebit.

Ad supra positam autem generalem conclusionem firmandam, etsi iura innumera adduci possint, satis tamen in vulgata pragmatica cursu dilationum textus esse putatur; dum ibi generaliter post publicationem, & testificata didicita ad repulsarum petitionem tempus designatur, earundemq. termini absque aliqua habendæ cognitionis nota, præscribuntur, quasi quòd nulli denegandæ illæ sint, nulla prorsus exceptione considerata.

2 Rursus, quia exceptiones regulam in contrarium extare necessariò astruunt, l. nam quod liquidè, ff. de penul. legat. propterea singularum earum prosecutione rẽ omnem concludere operæpretium duximus. 3 Et primò considerandum est † negari aliquando repulsam respectu petentis. Secundò ipsorummet testium reprobandorum. Tertiò, respectu alicuius iuris illam prohibentis. Quartò ratione causarum. Quintò, & vltimò ob tacitam repudiationem, ex ipso præstitutorum terminorum, ad earum petitionem decursu.

4 Quantum ad primum, & si in criminalibus causis constitutis reis, ad eorum subleuandam innocentiam potissimùm petita repulsa decernenda veniat; non tamen ex hoc, ad extenuandos à reo inductos testes eadem negari poterit, vt per Paridem de puteo in tracta. syndicatus, in verbo inquisitio, in vers. & aduerte † 5 verissimum tamen est eis accusatoribus dumtaxat cõpetere, qui suam, aut suorum iniuriã prosecuntur, iuxta titulum, C. qui accusare non possunt, Textum in pragmatica octaua, sub titulo de cõpositio. notata per D. de Franchis in decis. 100. incip. virginẽ, in alia 382. incip. vxor accusat, & in alia 460. incip. dum pro homicidio, † 6 vt per hoc ab ipsius repulsæ petitione, & constructione inquirentem Fiscum arceas, cui, ex infra allegandis iuribus, reprobandis testibus aditus nullus patet, vtcumq. publico illo fauore muniatur, quo delicta puniri

niri publicè interesse perfertur, l. ita vulneratus, ff. ad leg. aquiliam, vt habes per Paridē de puteo loco citato, & Scaglionum in vulgato ritu 276. num. 3. Non obstante. † quòd in hoc Regno, iuxta notata per Clarum, in §. fin. quæst. 3. inquisitionis alias extraordinarium remedium, instar alterius accusationis, ordinarium effectum sit, & per eundem Clarum ibidē in quæst. 14. Et licet in hoc contrarium Follerius sentire depræhendatur in praxi, in vulgari clausula Concedatur Repulsa num. 3. † considerando, inquisitionem minimè delicti naturam alterare, imò in accusationis locum eā subrogari, ac proindè ex vulgari textu, in l. eum qui iniuriarum, §. si quis me prohibeat, ff. de iniurijs, eius naturam sapere, & redolere qualitatem, vt in l. 1. §. hæc actio, ff. si quis testam. lib. esse iuss. fuerit. Referatq. insuper pro hac sententia Romanum consuluisse in consil. 27. primam tamen communi practica receptam verissimum est; Facitq. in simili, † quod neque sententias ipsas, quæ ex testium depositionibus tanquā ex mente eliciuntur, vt per Cynum in l. 1. de errore calculi, inquirenti eidem, per appellationis remedium, reprobare conceditur; Intelligendo tamen eodem Regni iure per dispositionem Ritus, cuius meminit Capicius in decisio. 114. atque alij relati per D. de Franchis in decis. 148. in principio, & in decis. 467. incip. in causa grandis, num. 6. vt assequaris indè communi iure inspecto, illud eidem non fuisse denegatum, vt per D. de Franchis in d. decisio. 148. num. 8.

7

8

9

10 Intelligendo tamen suprapositam conclusionem procedere in decretis absolutorijs, atque rursus notoriè non iniquis, quia si iniqua apparerent † licet Fisco appellatio non competeret, posset tamē permodum recursus pro eius iurium releuamine, S. Regium Concilium adire, ibiq. experiri, iuxta plenè conclusa, per D. de Franchis, in d. decisio. 148.

11

12 Prædictis tamen addendo, & illud etiā probatum est; quòd in casu, in quo inquisiti appellarent ab iniunctis sibi ex condemnatione pænis, tunc Fiscus interpositis per eos appellationibus inhęrere potest; quæ adhæsio ipso iure facta intelligitur, † atque ea tanti est, vt maioribus pænis; si ita maioribus iudicibus videatur, inquisiti appellantes alligari, & puniri possint, prout legitur in pragmatica Cōmendatoris Maioris proregis 10. inter æditas per eum.

13

14 Intelligendo rursus, tunc Fisco dictam adhæsionem permitti, quum pars, quæ quærelam exposuit, in iudicio inchoato non permanet, vt cessare adhæsionem intelligas, vbi parte ipsa assistente, sententia prolata extitisset, & non aliter ab ea appellasset, vt pulchrè per D. de Franchis in allegata decis. 467. in fine.

15 Cæterùm ad rem principalem redeundo, licet verūm sit Fisco reprobandi testes facultatem non tribui; poterit tamen is, pro eius muneris functione, de testiū qualitatibus se informare, vt per Paridem loco supra citato sub num. 2. Grammat. in decis. 45. num. 14. & Bouerium in singula. suis, in verbo Testis, num. 11. & optimè per Baldum, in l. 1. §. curatores, ff. de magistratibus cōueniendis, vbi quòd hæc inquisitio pars est examinis, & ad eā pars citari non debet. Quid tandem inquirens Fiscus circa testium examen vltra accusatores post publicationem possit ex se ipso persoluere, infra suo loco petas, à nu. 125.

Rursus circa præmissa animaduertendum est, quòd licet ex vulgari pragmatica cursu dilationum, cuilibet, vt supra, repulsa concedenda sit, & sine aliqua causæ cognitione; † non tamen penitus illā bonus Iudex excludendam ducet, in dilationibus assignandis eius arbitrio considerato; iuxta notata per Doct. & præsertim per Baldum in l. vltima, num. 5. & 6. ff. de ferijs, ac maximè in hisce Repulsis odio attento. † Et tantò præterea magis, quòd iudex dirigendis alias, perficiēdisq. iudicijs veluti Dux, Auriga, Præpositus, ac Imperator, ex Baldi placito in rub. C. si à non competenti iudice, nè coram eo nulliter, & perperam agatur, maximè prospicere, & curare debet, vt per Decium in cap. cum quæ, col. 1. de iudicijs, & Romanum in consil. 366. & vbi actus nulliter perfi-

16

17

perfici videat, resistere, vt per eundem Romanum, in consil. 42. num. 4. & alios allegatos post Papiẽsem in praxi in forma interrogationis fiendæ cum reo conuẽto in actione reali, in verbo frustratoriè, & habes plenè per Paridem, in tract. syndicatus, in verbo iudex, cap. 2. num. 17. in vers. vbi iudex viderit; ac tandem † non permittere illud fieri, quod factum ipsæ non releuare cognouerit, vt per Paulum de Castro in l. vltima, in fine, ff. de procurat., D. de Anna patrem, in allegatione 5. Alexand. de Neuo, in consi. 44. in fine, & quod in simili de petita responsione positionibus non facienda, vbi facta non releuaret, notauit D. de Franchis, in decis. 220. nu. 11. quod, & multorum inductione eum demonstrare, non reduit, & in terminis faciendæ probationis per Cassaneum, in consil. 34. num. 16. & Baldum in d. l. vltima, ff. de ferijs, nu. 6. & 7.

18

19 Et primò si viderit iudex actorem non plenè probasse; Reum verò plenè, vel semiplenè exceptionem, siuè incompatibilis, siuè compatibilis ea sit; non debet Actorem aduersus rei testes forsitan repulsam petentem ad eos reprobandos admittere; cum eiusmodi affectata reprobatio in nullo sibi profutura dignoscatur; cum ad illam iuris dispositionem pateat aditus, qua cauetur † actore non probante reum, & si nullam is probationem contra extruxerit, absoluendum esse, vt in l. qui accusare, C. de edendo; de quo dic, vt latius in secunda parte, Considerat. vnica notatum est, & de principali conclusione habes per Petrum Rebuffum, in tractat. de testibus, articulo 39. Des publices num. 40. & optimè per Angelum, in l. qui crimen, C. qui accusare non possunt.

20

21 Ita pariter in simili, si viderit iudex contra delictum plenè probatum negatiuam formari, non debet permittere ad eam cõprobandam testes recipi, & examinari secundum Bald. in l. vltima, num. 8. C. de probatio. & Panormit. in cap. ad nostram, in summario eodem titulo, maximè in eis falsitatis suspicione vigente. Quicquid tamen sit, reprobatur ibi per eundem Panormit. nu. 3. & Philippum Decium, cum

22

constet plus tribui testibus delictum excludentibus, quàm illud affirmantibus, & maximè, si ad illud probandum inducti ex aliquo capite cõsiderabilem repulsam patiantur. Vnde ego ad hunc effectum articulorum inspectionem habendã dicerem; & in defectu legitimæ repulsæ Baldo inhærerem, cogitabis tamen, & de antedicta conclusione habes infra considerat. 6. nu. 116.

23 Secundò principaliter, quia multoties partes examinatis testibus, eisque didicitis, vbi falsitatem aliquam eos attestasse depræhenderint, nè per eorum vsum eiusdem enunciatæ falsitatis participes fiant, infra dies octo à publicatione computandos, renunciare depositionibus per eos factis solent, iuxta obseruatam praxim, dicendo, & protestando, nequaquam illas sibi necessarias esse, nè ex alia verborum conceptione in testium dictis suspectam iam falsitatem adesse confirment, iuxta textum in l. si aduersarius, C. de fide instrumentor. de qua per Baldum in l. vltima, C. si ex falsis instrumentis, & notatur latius per Cauensem, in pragmat. Testem falsum, nu. 10. 11. & 12. Grammatic. ibidem num. 2. & Baiard. ad Clarum in §. falsum, num. 127. † propterea si vlterius aduersus eos repulsam peti contingat, iure illam, vti superuacuam iudex negare debebit, & hoc ea ratione, quia nulla cum productis testibus lis exerceri credatur, sed cum ipso producente; attendendumq. tantummodo est, nè videlicet examinati qui sunt, ei prodesse possint; quòd cum per factam renunciationem pars ipsa plenissimè assecuta sit, nec etiã falsitates, falsitate detecta producenti obesse possint, arg. textus in l. de ætate, §. nihil, ff. de interrogato. actio. & notatorum per Bart. in l. diuus, ff. de in integrum restitution. sequitur, quòd frustratoriè ad eiusmodi reprobationes fabricandas partis alterius conatus intenderetur; prout idem Rebuffus loco citato aduertit, num. 43.

24

25 Tertiò si domesticitatis, inimicitiarum, aut similes alias examinatis testibus notas quis obijceret, & petito termino, exprobare vellet, easq. ipsosmet testes in eorum

rum attestationibus proprio ore explicasse appareat, & sic propria confessione, qua nulla maior probatio consideratur, l. cum precum, C. de liberali causa; refrenanda tunc sanè erit repulsæ constru-

26 ctio, † nè demonstratæ rei, aliam adijciendo demonstrationem, frustra tempus, & pecunia conterantur, l. 1. in fine, ff. de dote prælegata, & in l. vltima, C. de precibus imperat. offerendis, prosequitur Rebuffus loco citato, num. 41. & faciunt optimè notata per Mascard. de probation. conclus. 1182. num. 4. & sequentibus, Alexand. de Neuo in allegato consil. 44. num. 13. satis enim tunc iudex cognoscens eos ex suo officio, iuxta infra notata in sexta consideratione reprobabit. ex textu in l. 3. ff. de testibus.

27 Quantum ad secundum principale caput; quia reprobandorum testium origo triplici ex fonte manare creditur; vtputa ex habitudine ad reprobare volentem, ex altera ad ipsos met testes, & tertia, & postrema ad eos, in quorum beneficium testificati sunt, prout latissimè de his in sequẽtibus considerationibus disputatum est; propterea quemadmodũ ex prima ad reprobantem habitudine vitari reprobatio possit, enixè discutiendum est; contingereq. sanè hoc posse discurrere licet, si eos reprobare intendens eosdem quamuis inhabiles, & defectiuos, vel in causa eadem produxerit, aut alia, vel aliter modo quouis approbauerit; quod ipsum quàm variè considerari possit, breuibus dispiciamus.

28 Sit igitur potissima, principalis, & indubitata conclusio alias productum testem à producente amplius reprobari non posse; quippè cum ea ex productione satis, superq. illum approbando eius fidem secutus deprehendatur, vt in l. si quis testibus, vbi Baldus, C. de testibus, faciunt notata per Afflictum in decis. 25. nu. 5. Corsettum in singula, in verbo Testis, il secondo, num. 1. Socin. Iunio. in consilio 146. num. 13. vol. 1. Vrsillum in Afflicti, decis. 216. num. 10. & 11. Menoch. in consilio 21. num. 14. & consil. 23. num. 1. & 3. & consil. 60. num. 17. eundem Socinum in consil. 69. num. 11. vol. eod. Boerium in decisio. 245. num. 4. Minadoim in consil. 11. nu. 36. Allegatos per Petrum Surdum in consil. 390. nu. 18. & alios plures comportatos per Farinaccium in tracta. de indicijs, & tortura quæst. 45. num. 36. vndè producenti occurri potest cum vulgari illo, videlicet † quos mores approbasti, amplius reprobare non potes, l. si vxor, §. vltimo, ff. de adult. & in l. quæsitum, §. item quæritur, ff. eod. cum alijs allegatis per Milleum in praxi persequendorum criminum, commiss. 2. incip. post aperturam, num. 5. faciunt notata per Afflictum in cap. Federicus, §. si quis hominem in Glosa, in verbo capitalem, num. 9. de pace tenenda, Menoch. in consil. 149. num. 26. & habes per Bossium de testibus, in titulo de publicat. processus, sub num. 13. 29

30 At nunc pro emissi quæsiti efficaciori resolutione; an, & quando quis testem produxisse intelligatur, discutiendum est. Circa quod breuiter dici potest; non solum illum in testem productum intelligi; qui citatus ad testimonium perhibendum ab aliquo fuerit, & cum effectu illud tulerit; sed & illum pariter, qui citatus tantũ fuerit; licet non examinatus, vtputa, quia vel eũ ad manus habere non potuerit fortè absentem, vel quia eius depositio sibi amplius necessaria non fuerit, iuxta tradita per Felinum in vulgato cap. præsentiũ de testibus, col. 3. in vers. habet locum, & ibidem per Butrium in vers. inquantum tamen, Bernardinum Roccam in eius praxis lib. 4. in tit. de oppositio. contra testes, in vers. nota tamen, fol. mihi 419. Stiaticum in Bononiensis praxis, cap. 17. num. 39. Boeriũm in allegata decis. 245. in princip. & habes apud Farinacc. de opposit. contra personas testium quæst. 62. limitat. 2. num. 223. † Aut vlterius examinatus quidem ad eius voluntatem fuerit; sed eius attestatione is vsus non sit; iuxta notata per Docto. in d. l. si quis testibus. Intelligendo rursus hoc ipsum multipliciter, & sic aut quia ipsum examinari curauit, & nihil pro eo dixerit, aut quia falsum attestasse comperiendo, eius sibi attestationẽ nequaquam necessariam esse fuerit protestatus; 31

ſtatus; iuxta præmiſſa. Primo caſu clarum eſt, eum amplius producētem ipſum reprobare non poſſe, ex antedictis, † quia videlicet eius perſonam ſatis certitudinaliter approbaſſe conuincatur. Secundo verò benè illum reprobare poterit, iuxta conſiderata per Farinacc. in dicta limitat. ſecunda, num. 222. in allegata quæſt. 62. pro hac ipſa concluſione innumeros allegantem.

33 Præterea nō minus, & eum productum intelligemus; quem quis pro eius parte non produxit, ſed à parte altera in vno articulo productum is eundem in tota cauſa interrogari fecerit; quod fieri poſſe, habes apud Stiaticum in d. cap. 17. num. 40. vbi rationē adducit, & legitur de hoc Ritus Curiæ, vbi Ebolitanus notat. 155. Nā nulli dubium eſt, ex eiuſmodi petitione eius perſonæ approbationem produci, vt amplius, & ſi producentis amicus, aut ex ſe ipſo quouis defectu, non tamen publico ex iure reprobato, inhabilis ſit, reprobari non poſſit, vt habes apud Panormit. in d. cap. præſentium, nu. 7. ſequitur Maſcardus de probat. concluſ. 1241. num. 5. & Farinacc. loco proximè citato, nu. 225. Illud tamen hic omittendum nō eſt; quòd ſi quis poſt productionem teſtem reuocauerit; quòd etiam aduerſario inuito facere poſſe conſtat, ex loco infra allegando, tunc quidem ſi illum pars altera producat pro ſe, reprobare non prohibebitur, cenſetur enim ex ea reuocatione, re integra, facta ab eo reprobatus, vt meritò vlterius reprobari poſſit, vt notabiliter voluit Baldus in l. edita in repetitio. patauina num. 108.

34 Quæ concluſio ſucceſſiuè pręmiſſis modis declarata ampliatur adhuc pluribus modis, & primò, vt non ſolum teſtis productus non poſſit reprobari in ea cauſa, in qua productus eſt, ſed nec etiam in alia quauis, in qua contra eum productum, & examinatum illum inueniat ex traditione Iaſonis in l. 1. §. editiones, ff. de edendo, col. 3. in verſ. ſed adde fortius, per textum in vulgata, l. ſi quis teſtibus, in verſ. ibi in alia lite, ſecuntur alij relati per Maſcard. loco citato num. 9. 11. & 12. & Farinacc. in d. limitat. 10. in principio ponderantem textum in cap. 3. 4. quæſt. 3. Minſinger. in obſeruation. camerali 3. centuria 4. & Crottum de teſtibus, parte 8. num. 11.

35 Secundò ampliatur, vt non ſolum procedat in ciuilibus cauſis, ſed etiam in criminalibus, vt per Farinacc. loco citato, num. 213. vbi quòd teſtes pro fiſco inducti etiam contra curiam, vel fiſcum inducentem probent ex Bruno, Nonio, Ceſalo, & alijs conſulentibus, plenè deduxit, non obſtante quòd inducti ipſi alias inhabiles noſcerentur per prææallegatam rationem.

36 Prima tamen ampliatio non ita ſimpliciter tenenda eſt, ſed multis alijs modis rationabiliter temperanda, & primò, vt nō vēdicet ſibi locum, vbicunq. poſt factam productionē aliqua noua cauſa ſuperueniſſet, quæ ad eius reprobationem nunc, olim facta productione nō obſtante, eum iure perducat, † quæ ſanè cauſa multiplex 37 conſiderari poteſt, & ſic vel ex inimicitijs capitalibus nouiter inter ipſum olim productum, & producentem exortis, vel quia lis ſit cum patre, vel fratre, aut ex conſanguinitate, affinitate, vel manifeſta amicitia cum altero litigatore vigenti, ſiuè antè, ſiuè poſt productionem contractis, aut alijs ſimilibus inhabilitantibus cauſis, vt puta ſi ſocietas interceſſerit, fideiuſſio, cauſę ſimilitudo, & ſimilia cętera; de quibus aliqua in vniuerſum infra in quarta conſideratione dicemus. His enim, aut alijs intercedentibus, non eſt præſumendū producentem ipſum ex vna olim productione facta, in alijs deinceps occurrentibus cauſis illum approbare voluiſſe; vt cantat textus in vulgata, l. ſi quis teſtibus, dum ibi dicitur. *Niſi oſtenderit inimicitias inter ſe, & illos poſtea emerſiſſe, ex quibus teſtes repelli poſſe, leges concedunt.* Sequitur Panormit. in d. cap. præſentium, Rocca loco citato, verſ. fallit, niſi ſuperueniſſet, Boerius in d. deciſ. 245. Maſcardus plenè in d. concluſ. 1241. nu. 23. & latius Farinacc. in d. quęſt. 62. limitat. 10. num. 240. & 248.

38 Secundò reſtringitur, vt etiam olim productus reprobari poſſit ex cauſa antiqua; quæ tamen productionis tempore fuerit

fuerit producenti occulta, sed postea ad eius cognitionem deuenit, ex eiusdem Panormitani traditione in d. cap. præsentiũ, nu.7. per textum, in cap. nulli de electione in sexto, faciunt notata per Felinum, in cap. super his de appellation.& in cap. pastoralis de exceptio. habes latè per Mascardum, in allegata conclus. 1241. num. 24. & alios innumeros relatos per Farinacc. in d.limitat.10.num.244.

39 Quod autem antiquam causam ignorauerit, poterit hoc pars ipsa olim producens per proprium iuramentum demonstrare, vti loco citato Felinus docuit, & alij relati per Farinacc. in citata limitat. 10.num.245.

40 Tertiò coangustatur, vt non procedat in summario iudicio, si productus quis fuerit; nam eiusmodi productione non obstãte, poterit in plenario reprobari, vbi productum illum olim producens depræhendat ex Butrij traditione, in cap.veniẽs col.7. vers. oppono, quòd bona, de testibus; sequitur Mascardus in d. conclusio. 1241. num.22. hos, & alios postea referens Farinacc. in d. limitat. 10. num.219. & ratio potest esse; quia tumultuariè, & sine iudicij figura in eiusmodi causis omnia tractari creduntur, & proindè nec tale præiudicium eas afferre, quòd non possit in succedenti plenario reparari, 41 † vnde semiplenas probationes in eo ipso iudicio sufficere edoctum plenè habes apud Contardum in commentarijs ad legem vnicam, C. si de momentan. possessio: fuerit appellatum in rationibus decidendi, num.14.& 19.& 20. & est textus in l. penult. ff. de his, qui sunt sui, vel alieni iuris.

42 Quartò restringenda est, vt non procedat; si testis alias productus à parte nunc ipsum producente fuisset reprobatus per supradictam rationem; quia quemadmodum, qui aliquem approbauit, amplius eũ reprobare non potest, ita è contra qui aliquem reprobauit; amplius eundem approbare non potest.

At hic animaduertendum est, vtrunq. quod dictum est, esse Brocardicum; quia, & approbatum quis reprobare potest; quoad dicta tamen, vt infra notabitur, & reprobatum approbare contra alios illum producendo, & non contra eum, aduersus quem agendo, vel excipiendo, eũdem re- 43 probauit. † Dicas ergò non debere quemquam eo actu gaudere, aduersus quẽ venit, iuxta textum in cap. ex eo de regulis iuris in sexto, & in l. qui falsas, C. de falsis, & alijs adductis per Farinacc. in d. limit. 10.n.255. Et quia is producens alias illi, contra quem eũ producit, eũdem producenti tũc productionẽ, per reprobationẽ sustulit; meritò nunc, vt iure eodẽ sibi remetiatur, ipsimet iuri congruit, atque ita voluit Innocentius in cap. mulieri de iure iurando; quem secuti sunt plures per Mascardum relati in præallegata concl. 1241.num.17. & Farinacc. in d. limit.10. num.254.& 255. 44

Vt tamen limitatio prædicta suum sortiatur effectum, plura concurrere debere 45 notandum est, & primò quòd † nunc producens alias reprobans suæ reprobationis fructum fuerit tunc in producentis nunc reprobantis præiudicium assecutus, vtputa, quia producentem actor tunc reprobans condemnare fecerit, vel reus tunc reprobans ab impetitis absolutionem impetrarit; & sic eo casu, vti à iudice reprobatum, amplius approbare non debet; quòd si reprobans tunc in ipsa reprobatione fuerit victus, vt quia tunc producẽs obtinuerit, illum nunc reprobare non posset aduersus eum producentem, vt per Mascard. ibidem, num.19.

46 Secundò, vt sit productus contra eum ab ipso alias reprobante; nam aduersus tertium producentem; qui alias illum contra ipsum non reprobauit, eundem nunc reprobare non posset aduersus eum producentem, vt habes per Farinacc. in d. q. 62. allegata limit.10.num.256.

47 Tertiò, quòd reprobatio fuerit facta contra testis personam, non item si contra dicta, seu examen; quia reprobatum in dictis alias à se productum quis reprobare quoad personam aduersus olim reprobantem, & nunc eundem producentẽ non potest, benè tamen quoad dicta reprobari poterit, 48 † quia quoad ea, ex actu

productionis nunquam testis approbatus intelligitur, vt infra notabitur, & habes per Mascardum in dicta conclus.1241.nu. 8. sequiturq. Farinaccius loco citato,nu. 259.

49 Quartò,& vltimò,quòd is illum hodiè reprobare intendens in spetie contra eum protestationem emiserit, vtputa subiungendo,quòd is sit vnus adulter,aut falsarius,aut fur, & sic de singulis, vt per Boerium in allegata decisio.245. num.6. vbi de communi attestatur, & sequitur Farinaccius in dicta limitat. 10. num.258. & dixi supra considerat.1.

50 Quintò principaliter,& postremò supradicta conclusio limitatur non procedere quoad dictorum reprobationẽ; quia ex ea productione,vt dictum est,personas testium tantum; non item eorum attestationes; quas verisimiliter ipsum ignorasse satis patet, producens approbasse intelligitur. Quare si illæ falsæ sint, aut variæ, vel inuerisimiles,illas falsas,varias,vel inuerisimiles demonstrare non prohibebitur,iuxta Panormit,traditionem in vulgato, c.præsentium, col.3. habes apud Marantam in speculi sexta parte,actu 13.nu. 11. per iura, in dicta l.si quis testibus, & in cap.3.in vers.si quis testibus,4.quęst.3. & alios allegatos per Rolandum in cons. 4.num.24.vol.4.Ratio est,quia producẽs ipse non quemadmodum productionis tẽpore testium personas notas habere potest,ita & dicta, & dicenda per eos, † cui

51 respondet quod alias notatum est ex l. ex consensu,ff.de appellatio. & ex cap.cum causam de re iudicata; quòd quamuis ex consensu in aliquem iudicem, eius personam quis approbasse censeatur, ita vt illũ reprobandi sibi non amplius facultas sit; eius tamen sibi in contrarium prolatam sententiam appellationis remedio improbare non prohibetur, vt habes per Roccã in eius praxis lib.4.loco citato,in vers.fallit etiam in repulsa.

52 Illud tamen hic omittendum non est, Marantam loco citato, approbando Romani sententiam in consilio 104. allatam limitationem rursus limitare deprahendi, vt videlicet non procedat,si pars publicatione facta, & didicitis testificatis ad eorum reprobationem non moueretur, nam hoc casu eos quoad dicta etiam approbare intelligeretur.

53 Sed hanc ipse restrictionem non probo; pro cuius rei dilucidatione puto considerandum; quòd aut quærimus de reprobatione in principali causa incidenti; aut in occurrenti alia in secunda appellationis instantia. Primo casu rursus dici potest; quòd aut adhuc ineundarum reprobationum tempus durat,aut præterijt; si durat, ratio non suppetit, quæ competentem repulsam auferre possit; Si verò præterijt, neque item alia; quæ illam vlterius tribuere valeat.

54 Secundò verò casu principali, & sic in appellationis causa clara est Doctorum conclusio† in prima instantia omissam testium reprobationẽ in secunda extrui posse, quoad dicta tamen intelligendo; dum aduersus ea falsitatis species aliqua obijcitur, prout latè infra notabitur, & hoc per illud vulgatum, & satis receptũ axioma; quo dicitur; emissos errores in prima instantia posse in secunda reparari, iuxta tradita per Capicium in vulgata decisione 35. discurras tamen quæ plenè Farinaccius notauit loco citato num. 242. & 243.

55 Quòd si vlterius ex alijs appareret testium fuisse approbatas attestationes, tũc eis omnimodo standum esset,iuxta singulariter notata per Hippolitum in singulari 92. incipiente licet testis ex Baldi tamẽ intentione in l. in bonæ fidei in vers. sed dubitatur de vno C. de rebus creditis,refert, & sequitur Mascardus in vulgata conclusione 1241.num. 30.

56 Prædictis autem alia ferè similis subnectenda conclusio est de adhibitis in cõtractu testibus; an videlicet ipsi reprobari possint. Et in hoc laconicè concludi potest; quòd si ipsi vocati à partibus fuerint, & ab eis cogniti efferantur, nequaquam quoad personas reprobari poterũt, ex ea nempè vocatione, & rogatione approbati cum intelligantur, iuxta Glosam in §. licet in auth. de testibus in verbo supplicijs,approbatam per multos relatos per

Nattam

Nattam in consilio 95. num. 12. & alios plures allegatos per Farinacciũ in quæst. 62. limit. 7. in principio, & Antonium de Trigona in eius singul. 71. † Nam alias si incidenter præsentes contractui fuissent, & à Notario, vt communiter fit; descripti, & essent re vera contrahentibus ignoti, benè reprobari possent, quia in eorum defectibus ipsi minimè consensisse censentur, minusq. approbasse, l. nec ignorãs, C. de donatio. & in cap. insinuante de officio delegati, cum aliis in proposito allegatis per Farinaccium num. 118. & 119. videas tu tamen plenius infra in quarta consideratio.

58 In casu tamen huius tacitæ approbationis illud pro coronide animaduersum volo; illos tantummodo aduersus hos tacitè approbatos defectus obici non posse; qui partium ipsarummet consensu tolli possunt, vt consanguinitas, affinitas, inimicitia, & similes; secus autem eos, qui in eorum odium à lege taxati improbantur; cuiusmodi sunt excõmunicatio, infamia, Bannum, & eiusmodi cætera. An autem producens scripturam illam deindè impugnare valeat, dic, vt per Mandellum in consilio 9. num. 40.

59 Neque verò, antequam ad alia incumbentia transeamus, silentio prętereundum est, quòd si quis in aliqua causa testes cõtra se inductos non approbauerit, neque reprobauerit, quòd si postmodum in alia causa contra eum reproducantur, existente contra eos legitima reprobationis causa, illos reprobare non prohibebitur, cum ex omissa tunc reprobatione minimè approbati intelligi possint, vt voluit Panormit. in dicto cap. præsentium, num. 8. & alij plures relati per Mascardum loco citato, num. 6. & Farinacc. in d. quæst. 62. limitat. 8. num. 182.

60 Rursus rem vtiliter protrahendo, his proximè accedit, quod notauit Baldus in l. illa, aut illa institutio, ff. de hęredibus instituend. videlicet quòd multoties contingit per morientes fieri legata, nec eorum quantitas per eos taxatur, sed alicui tunc certæ personæ quid quantumq. soluendũ sit, ex industria cõmittitur, quod fieri posse in expedito est, quicquid secus in institutionibus obtineat, vt per Baldum eò loci, & est casus apertus in l. si filiæ pater, ff. de legatis 3. indubium propterea censendum est, ex confidentia illi à testatore habita, facta per eum declaratione prædicta, neque quoad personam, neque quoad dicta, eundem reprobari posse, vti habes per Mascardùm in conclus. 486. num. 9. dummodo tamen declaratio præfata infra annum fiat, quia post annum facta, non subsistente aliquo legitimo impedimento nõ prodesset, vt per eundem Baldum in consil. 398. num. 3. vol. 5. & hæc quoad primum caput, & videas notata per Afflictũ in decis. 371. num. 4. & sequentibus.

61 Sequitur præterea, vt de his disseramus, qui eorum met respectu reprobari, vel nõ reprobari possunt, & primò ex dulcissima ipsa vetustate repetendũ est olim apud Maiores nostros, ex alienigenorum institutione, Longobardorum videlicet sacramentales testes reprobari non potuisse, vt per Afflictum, & Iserniam in rubrica constitutionum Regni, quos refert Ebolitanus in Ritu magnæ Curiæ 280. quod ipsum, vt plenius assequaris, repetendum illud tibi est † olim Longobardorum iure, 62 vbi ad iuramenti religionem parti decurrere, ad ipsius purgationem oportebat, ne dum ipsum principalem iurare debuisse; sed & alios simul multos, iuxta causarum qualitatem ad confirmandum tale per eum præstitum iuramentum adhiberi exigebatur. Et in summa iurabant illi dictum per principalem præstitum iuramentum esse verum, veraq. iurasse, atque ita se ipsos credere; & ad hoc, vt eiusmodi iuramentum ad veritatis definitionem præstare possent † terminus ad perquirendum, & se informandum iudicantis arbitrio parti, & testibus assignabatur. 63

Fuerunt autem dicti testes tùm sacramentales, tùm purgatores nuncupati, sacramentales quidem ex ipso iuramenti confirmationis actu; † purgatores verò; 64 quia per eorum iuramenta se pars producens, suum iuramentum cõtestando, purgare à quadam præsumpta calumnia intelligeretur. Et ex hoc sanè Longombar-

dorum ritu credo, quòd descenderit illud pessimum, de mutuandis iuramentis apud vulgares, & rudes homines dicterium. Quo autem ordine, & quot ad elaborandam confirmationem prædictam eligendi essent, videndus est Iulius Ferrettus in additione ad Bartolum, in tractatu de varietate inter ius ciuile, & Longobardum in rubr. prima, quando, & qualiter pars se purgare debeat.

65 Quod tamen dictum est, eos videlicet reprobari non potuisse, limitabatur non procedere, si suspicio aliqua, aut fortasse plena probatio contra eos vrgere deprehenderetur; quòd vbi aderat, non nisi præuia iudicātis declaratione reprobare permittebatur, vt in Longobarda si suspicio posita sub titulo qualiter quis se defendere debeat.

66 Successiuè, quia infamem sua semper infamia comitatur secundum Glosam in cap. constituit, 16. quæst. 4. & dicitur iu Psalmo 50. *Peccatum meum contra me est semper*; illud proindè apud scribentes re-

67 ceptum est † quòd si aduersus infamem aliquem eiusmodi farinæ alter examinatus sit, atque is illum ex eodem capite reprobare cōtendat, quòd videlicet nequaquam hoc poterit; vti voluit notabiliter Bartolus in l. in arenam, C. de inofficioso testamento; & hoc ex eo, quòd quam ipse in se ipso infamiam habet, non sit sibi iure permittendum in alium obijcere, quod, & euangelico illo satis probari videtur, dum reprahenditur trabem ante suos oculos habens, & festucam in oculo

68 fratris magnifaciens, † vt & contra adulterum virum pro adultera quandoq. vxore dicitur in l. si vxor, §. vltimo, ff. de adulterijs, & in l. cum mulier, ff. soluto matrimonio, quos enim mores approbauit, amplius in alijs reprobare non potest; & vt vulgò dicitur; nihil Iudæus Iudæo, & nihil Catilina cæthego, & vltra magis, paria delicta mutua compensatione tolluntur, d. l. in arenam.

Sed ex his diceres, si semper, vt dictum est, infamem sua sequitur infamia, hoc ipso in casu nullo modo sequeretur, cū negetur contra infamem reprobatio. Dicas illum quidem non desinere infamem esse; sed benè in alterius excipientis eiusdem farinæ hominis odium eundem in sua de-

69 positione quodammodo tolerari † vt videlicet talis audax, & temeraria excipientis infamia in eius correptionem retundatur; vndè ab ea in posterum sibi consulēs recedere studeat, & in virtutum prosecutione intendendo, proprium nomen bonis notis ornatum decenter apud populi optimates commēdare, prout habes apud Guidonem Papam in eius quæst. 500. incip. Actor dedit num. 3. faciunt notata per Cyrillum in praxi criminali, in titulo qui accusare non possunt, §. 17. num. 2. & Albericum de maletis latè super hoc insistentem, in tract. de testibus à num. 6. vsque ad 13. videnda nihilominus ad hoc erunt, quæ infra suo loco de reprobationis effectu dicta sunt.

70 Quoad tertiū si statuto caueretur Magnatibus contra testes aduersus eos examinatos reprobandi facultatem non concedendam; Clarum tunc est, eos reprobari non posse; atque eiusmodi statutum validum esse optimè legis apud Marianum Socinum in cap. qualiter, & quando, il secondo num. 317. vers. nono quæro de accusatio. per textū, in cap. licet de testibus, & ratio ea esse potest, quòd ipsi eorum potentia cum malitia copulata, quam alias non facilè alienam, & seiunctam reperies, etiam verissimas probationes multoties confundere deprahendantur potenter potentes integerrimos quamuis testes reprobantes; quos, & quandoq. quò impunes euadant, ac diutius publicam aduersus tranquillitatem grassentur, varijs modis percuti, confodiq. ad necem vsque faciunt, atque procurant. Præsumeret ergò statutum, vbi vigeret, pro sui validitate, aduersus potentes præfatos, alioquin in ciuitatibus, & locis formidabiles, humilioris fortunæ alios, & si illis præ metu odiosos, quò eorum violentas manus effugiant, non nisi veritatis contra testimonium laturos, vndè meritò superuacuum, imò periculosum reprobationibus additum aperire sit eo existimatum.

71 Præterea dicti statuti dispositione sup-

posita

posita, illa adeò attendenda esset, quòd præfati aduersus Magnates recepti,& examinati testes,neque etiam per indirectum reprobari possent;quod accideret quidē, vbi iudex, aliqua aduersus eos falsitate præconcepta, eius prætextu contra eosdē inquirere vellet; Nam hoc casu verum est, quòd si remedio comunis iuris accusari non possunt, neque aduersus eosdem extraordinarium alias inquisitionis alterum protendi poterit. Et quamuis in hoc Regno, iuxta suprascripta, ordinarium æquè illud effectum sit, iuxta notata in cap. Regni subiungendo; in prima additione per Nigrum; adhuc tamen idem suggeritur concludendum per rationes ibidem à Socino ponderatas, & Bartolo in eius consil. 100.incip. à Domino Cyno de Bononia, nu.2. & 3. † Ratio autem 72 propositæ cōclusionis ea esse potest; quia statutum in casu prēmisso reprobationem denegans,videtur omnem modum prohibere,quo ad illam perueniri potest l. oratio,ff.de sponsal. facit textus in l. seruus, C. de his, qui ad Eccles. confug. in cap. constitutus de concessio. præbendæ, & in clement. 1. in verbo contrahere de consanguinit. & affinit. & prosequere, vt latius per Bartolum,ibi.

Reliquum esset modo in quibus causis reprobandi vsus intermittatur pandere; quod ipsum, quia pro strato, seu materia subsequentis considerationis adscripsimus, ibi latissimè videndum protestamur.

73 Successiuè,quia iustitiæ,& eius celeris administrationis principes debitores sūt, vt in cap. Regni incip. Detestantes; quò ipsi oblato sibi munere fungerentur, per successiua tempora non destiterunt opportuna adinuenire remedia, quibus ad malum proni mortales à frustratorijs dilationibus passim reuocarentur; & quidem non solum ab ijs, in quibus odium aliquod versari deprædenderetur, vti repulsæ esse intelliguntur, quemadmodum supra consideratione prima latius notatū est; sed etiam in fauorabilibus alijs cuiusmodi restitutoriæ sunt, ac post terminata per sententias iudicia,aliæ consequentes.

Et re vera cum reprobatoriæ ipsæ dilationes ad aliorum crimina, & defectus exprobanda, ac proindè ad destruendas,aut attenuandas iam factas probationes intendantur, † oportuit propterea circa earum petitionem, concessionem, & vsum plura adinuenire præsidia; cum alioquin naturalem protendentes defensionem tolli nō potuerint,quibus refrenari,aut euerti penitus earum præsumpta calūnia valeret. Et cum in præcedentibus de requisitis ad earum concessionem multa diximus,ac tempore, nec non parum antè in hac nostra cōsideratione, nè perperam concedantur; nunc alia duo summatim expendere reliquum duximus; quorum primum est,nè ad aliorum iniuriam, nihil ponendo, vel probando, petantur, ac de perperam simul petentium statutis pœnis. Secundum,& postremum,nè ad principale negocium attingendum cum nouorum articulorum formatione, vel repetitione veterum ipsæ exerceantur. 74

Quantum ad primum,& antè Granuelani Cardinalis proregis pragmaticam, de qua sub titulo de procurator. per alias antecedentes regias sanctiones, Repulsæ terminos obtinens,& eis nullo modo vtēs aliqua non fuerit pęna irretitus,atque cōpressus; dicti tamen proregis vigili industria, ea prouisum extitit; quòd dilationes præfatas simpliciter obtinēs, & in eis nihil vltra procedens, permittendo, videlicet in eis præfixum tempus, perperā labi,cogi possit, & debeat ad soluēdum pro pœna,didragmas,seu tarenos decem. 75

Hæc eadē prouisio non multis ab hinc retrò annis per Comitem Mirandæ proregem cōfirmata fuit, vt in pragmatica prima inter æditas per eum sub die 21. mensis Martij 1587. & ea quidem pœna expresse indicitur,per illa verba. *Seu termino vsi non fuerint.* 76

Verùm pro dictorum verborum prosecutione,& enucleatione, hic de pluribus quæri potest quæstionibus, & primò an, antequam quis obtento Repulsæ termino vti incipiat,re integra possit illi renunciare? ita quòd liberè,eo non expectato, ad vlteriora procedi valeat, & per hoc pœnā euitare? † pro dissolutione dici potest, re inte- 77 78

integra, dicto termino admittendam renunciationem; vt in beneficiorum dilationibus ad pinguius probandum, stante consimili prouisione in nostro tractatu, de primo,& secundo beneficio, cōsiderat. 5.notauimus,& hoc ex Regni regia pragmatica 60. sub titulo de officio sacri R. Concilij; † vbi tunc,re integra,renunciatio facta intelligitur; vbi eadem die obtentæ dilationis, aut ad plus sequenti illa fit. His enim temporibus admissa renunciatio incontinenti facta censetur; quo casu inesse intelligitur, habeturq. ac si ea petita non fuisset,cum non sit causa, eius occasione in aliquo protelata arg. text.in l.lecta, ff. si cert. petat: tùm etiam, quia pæna exigitur à non vtente,sed eo tempore non potest dici non vsus, cum non sit transcursa dilatio, ac ea vti possit; ergò meritò in nullam pænam eū incidisse concludendum est.

79

80 Nec mireris, quòd renunciatio altera die facta dicatur incontinenti habita; Nā non dicitur fieri dumtaxat incontinenti; quod statim fit; sed etiam quod cum aliquo temperamento, iudicis pro arbitrio dictante, perficitur; iuxta allegata per Tessaurum in decisio. Pedemontana 77. num. 3.videnda tamen sunt, quæ loco citato scripsi latius.

81 Secundò principaliter quæri potest; quemadmodū ad euitandam pænam prędictam, quis statuto sibi ad repulsam termino vti intelligatur? Et in hoc breuiter dici potest; quòd tunc quis termino vti intelligitur; cum infra illum articulos in personas, & dicta testium obiectus continentes præsentat, ac aliqua legitima probatione comprobat; vt simul assequaris

82 † non sufficere: si articulos tantum quis præsentauerit; cum obiectorum etiam defectuum probatio requiratur; Imò si probatio ipsa intermittatur, vltra iam dictám pænam tarenorum decē; de qua in prag-

83 matica 2 de Testium refrenat. † ob publicatos, & non probatos contra testes defectus,iniuriarū illis actione tenetur; quasi quòd crimina opponendo,& non probando, cōtra se examinatos testes iniuriarum propositione grassari voluisse intelligatur,nullo defensionis pręconcepto scopo, ad quem ea dilatio sui institutione dirigitur, l. 1. & l.iniuriarum, la grande, ff.de iniurijs.

84 Quæ conclusio probatur sanè;vbi contra patrem filius, aut patronum libertus crimina obijceret, quibus multum reuerentiæ,& honoris impendi debere,& præstari,ex legalibus titulis de patria potestate,de in ius vocando,de operis libertorū, de libertis,& eorum liberis,& alijs passim similibus liquet plurimum, & in spetie parentum, patronorumq. famæ parcendum esse, satis lege ipsa dictatum est, l. parens de obsequijs à libe. & liber. l. non debet, ff.de dolo,l.4.§.aduersus,ff. de doli mali, & metus exceptio. & in §. ostendimus institut. de suspect. tutor. vel curator. prout de principali conclusione habes per Angelum in l.qui crimen, num.3. C. qui accusare non possunt. † Quoad cæteros ve-

85 rò eius contrarium amplexos Baldum, Angelum, Alexandrum,& alios videre est in l.vltima, ff. quod quisque iuris, eorūq. conclusio optimè probari animaduertitur ex textu in l.quæ omnia, ff.de procurator. vbi quod in iudicio turpi conuicio prouocatus potest prouocanti, se defendendo,obijcere,quod mentiatur; hoc ipsum sibi gentium iure suggerēte,l, vt vim, ff.de iustitia,& iure.

Simile præterea argumentum habes ex textu in l. qui cum maior, §.si libertus, ff.de bonis liberto. & alijs allegatis per Moncadam hispanum post Crottum in tracta. de testibus parte 9. quæst. 11. sub num. 51.

86 Prima tamen opinione supposita, ea dupliciter restringenda est; & primò, vt non procedat, si aduersarij potentia, vel testium deceptione quis obiecta crimina probare non potuerit, vt quia obiectuum veritatem scientes se examinare promiserint,& postea,quod multoties euenire solet,se retraxerint,vti optimè declarat Angelus in d. l. qui crimen vers. attende tamen,& facit textus, & ibi Glosa in verbo sufficiēs in cap.i.§.qui verò in fine de electione in sexto. Quemadmodum in simi-

87 li, † nec ad talionis antiquatam pænam teneri

teneri tunc crimen deferentem,& se inscribentem; iuxta textum in l. libellorum, ff. de accusatio.& totum titulum de calu mniatoribus,notatum est apud Diuum Thomam in 2. 2.quæst.68.artic.3.& 4.in corpore.

88 Non tamen volo,hic intermittas, dum in veterem inscriptionem incidimus, in obiectibus hisce,videlicet deducendis nō fuisse tunc inscriptionē aliquam necessariam; cum non ad testium condemnationem; sed ad meram fidei subtractionem obijciantur,iuxta suprascripta;& aduertit Angelus ibidem.

89 Redeūdo tamen ad rem, hodiè pro deducentibus similes obiectus; nè videlicet in aliquam iniuriarum pœnam incidant, satis prouisum est; dum salutari illa ad hæc concepta protestatione vtuntur; dicentes se hæc ipsa capitula ponere non animo iniuriandi; sed se defendendi tantum,& non aliter, nec alio modo. 90 Et licet facto contrariam illam;ac proindè futilem multis conatus fuerit ostēdere Moncada post Crottum in allegata 9.parte, d. num. 51. in vers. contrarium tamen, eius 91 nihilominus optimum,†ac præsentaneum remedium esse,habes per Boerium . sæpè citata decis. 245. num.8.Pariden. de puteo in tract. syndicatus in verbo iniuria officialis cap.2. col. 1. Marantam in speculo actu 13. num. 16. remissiuè tamen Menoch. de arbitrarijs iudicū casu 321. num. 19.vbi videndum; Follerium in praxi in clausula concedatur Repulsa num. 22. Clarum in §.final. quæst.allegata 53. num.4. Rebuffum in tract. de testibus articulo 31. Despubliees in Glosa vnica nu. 44.faciunt alia notata per Magonium in decisio. lucensi 26.num.31.Petrum Surdum in decis. Mantuana 89. num. 3.Brunorum à Sole in vtriusq. iuris compendio resolutorio, in verbo actio iniuriarum; Gulielmum de Luduno in singul. 88. incip. Glosa est,quòd si testes,vbi iura allegat, & prosequere, vt latius per Clarum loco citato,quia optimè,vt nihil vltra.

92 Ea sanè ratio esse potest;quòd obiectus præfati non principaliter ad examinatorū iniuriam intendantur, vel,vt eis damnum aliquod inferatur; sed totum reprobationis negocium aduersus producentem dirigatur, vt videlicet in eius protenta actione destituatur Actor, & in supposita sua exceptione repercutiatur Reus,& faciunt notata per Glosam, in cap. cum Ecclesia vulterana,in verbo iniuriam de electione.

93 Hac tamen salutari clausula circumscripta, & alijs supra commētis exceptionibus; tunc intelligendum est,ob emissos obiectus, eos non probantem iniuriarum actione teneri, quum ipsa,quæ obiecit,de genere prohibitorum esse noscuntur, vt quia latronem testem esse dixerit, adulterum, & similibus denigratum; secus verò si alia eo in genere non contenta effuderit,prout ex Crauetta in consil.419.in fine deduxit Petrus Surdus in allegata decisio. 89. sub num. 28. vers. respondetur secundò.

94 Sed hic rursus pulchrè quæri potest de alia quæstione,quid iuris videlicet dicendum sit, si quis de pluribus criminosis obiectibus contra testem propositis vnum tantum probauerit; nunquid quoad non probatos alios iniuriarum actione molestari possit; Respondeas breuiter; quòd si probatum crimen tanti sit; quòd eum à pręstanda in producentis beneficium,fide remoueat, vt.s. amplius non probet, vel quasi parum subsistere possit; quòd tunc pro alijs non probatis ea actione non valeat molestari; cum in parte subsistere intelligatur legitimæ defensionis causa; arceaturq.penitus,quæ in his maximè damnatur præsumpta calumnia, pro quo faciunt optimè notata per Glosam in allegato cap.1. in §. adijcientes,in verbo defecerit de electio. in sexto.

95 Illud præterea, quoad præmissa omittendum non duximus; quòd & si per iam dictam pragmaticam secundam de testiū refrenatione fuerit in fabricantes repulsā, & obiecta crimina nō probantes cōstituta pœna tarenorū decē; Tamen per supra allegatam alteram, sub titulo de procurato. ob delicti fortasse frequentationem; ex quo ea ex pragmatica tunc obtinens, iam satis exigua videretur; redacta illa fuit ad summam ducatorum decem,cum commina-

natio-

natione, quòd si à iudice exigi omittatur, quod in fine eius officij ex eius salario fisco satisfieri de ea debeat; dum ibi dicitur. *Et si fuerint capita concernentia repulsam, seu aliquam infamiam, & termino dato, non probauerint capita ipsa infamiæ; soluant pœnam ducatorum decem*. vt in d. pragmatica secunda edicitur in fine.

96 Successiuè, quia dictum est, tunc repulsam obtinentes legitimè eius termino vti intelligi, vbi probationem aliquam legitimam fabricauerint; quæri potest, quæ nã in proposito legitima probatio censenda sit? Quoad ius commune quidem pertinet, quatenus per pragmaticam hoc definitum non esset, † sanè dicendum est primo probantem in eo termino proposita capita per vnum testem à statuta pœna prorsus immunem non esse, vt per Glosam in d. cap. 1. in verbo nota de election. in sexto.

98 Conducit ad idem Io. Andreæ traditio in cap. cũ dilectus extra eod. tit. quòd inscribens se ad pœnam talionis non releuatur à supplicij similitudine; quam non probans reportare debet, si per vnũ, omni quamuis exceptione maiorem testẽ probauerit, vel aliter semiplenè, & sequitur Baldus in addit. ad speculat. in tit. de accusat. §. vlt. in littera G.

99 Quicquid tamen sit contrarium puto verius; quòd quis in terminis nostræ repulsæ eo modo probans, pro pœna molestari non debeat; cum non dicatur in euidenti calumnia esse, vti voluit Baldus in auth. generaliter, C. de Episcop. & Clericis, prosequitur Felinus in cap. 2. de calumniator. Menoch. de arbitrarijs iudicũ lib. 2. cent. 4. d. casu 321. & Gabriell. de testibus conclus. 1. num. 48. Quæ opinio videtur satis æqua, & certa; vndè non obstant contraria; † Nam ea procedunt, vel ad punitionem eorum, cõtra quos crimina deducuntur, vt inscriptione; vel ad tollendum eorũ ius, vti in obiectibus contra formã electionis factæ, vt in d. §. adijcientes in verbo nota Glosa declarat. Sed in casu nostro non hæc ipsa aguntur, cum nec ex deductis testes puniantur, nec eorundem ius aliquod pereat, vt supra est animaduersum, & in sequenti consideratione dicetur; ergò meritò per vnum testem facta probatio sufficere debet; † Et in summa, materia defensionis præexistente, quod in casu supposito quæ vis semiplena sufficiat, satis ostendit, allegando, Crauetta in consil. 2. num. 16. quem adeas, quia pulchrè loquitur, & de prædictis videas speculat. in d. §. vltimo circa finem.

102 Cæterùm quantum ad nostrum Regni ius attinet, suprapòsita quæstio luce clarior effecta est; dum enixè à pragmatica dispositione deducitur, atque deciditur. Dictum est enim in d. pragmatica secunda de testium refrenation. in principio. *Crimina, & defectus ad infamiam testiũ, si non fuerint semiplenè, vel per famam publicam probata, vel probati puniãtur, &c.* & sic sufficit semiplena, vel aliter per famam publicam facta probatio.

103 Pro quorum verborum dilucidatione breuiter hic quæri potest; quæ hic semiplena intelligenda sit? ac quemadmodum per famam alia legitimè ab inducendis testib[illegible] construenda veniat?

104 [illegible]um ad primum, ita describere lubet, [illegible] sit Rei gestæ irreparabili, vel incidenti causa per se sufficiens fides, vel ad aliud iuris remedium aditum consternẽs. Dixi in causa reparabili, ratione illorum iudiciorum possessoriorum, quæ summarijssima dicuntur, in quibus illam sufficere, in sequenti consideratione explicabimus, & habes apud Doctores in l. à Diuo Pio, §. super rebus, ff. de re iudicata. Dixi incidenti, vt in proposita causa reprobationis testium; vbi non contra testem, qui reprobatur, causa agitur, sed contra illum producentem; iuxta notata per Castrensem in vulgata, l. si vteris, C. de fide instrument. num. 10. † vbi ex capite falsitatis reprobatus testis non efficitur infamis, & consequenter in alia causa productus repelli non potest; nisi denuò reprobetur, de quo videndum plenius infra in sequenti considerat. in fine.

Dixi denique, vel ad aliud iuris remedium additum consternens respectu ordinaria-

nariarum causarum, modici tamen præiudicij, in quibus, iuxta ea, quæ in secundæ partis consideratione vnica dicentur † semiplena ipsa ad suppletorium iuramentũ, alioquin extraordinariam, seu subsidiariam probationem additum præstat; cuius coniunctione perficitur, & integratur; vt meritò nunc improbari à nobis possit semiplenè † descriptio ab Oldemdorpio cõpacta per Mascardum relata de probatio. quæstio. 11. num. 1. dum inquit; quòd sit: Rei gestæ fides aliqua iudici facta, nõ tamen tanta; vt iure debeat, in pronuncianda sententia eam sequi; Nam, vt dictum est; in multis per se sufficiens, quò ad pronunciationem decurratur.

106

107

108 Successiuè ea quadruplex notata est ibidem per Mascardum; vel enim insurgit ex vno teste omni exceptione maiori, prout latè ipse prosequitur in d. quæst. 11. & nos infra deducemus in secundæ partis considerat. vnica, secundo requisito num. 71. & sequentibus; vel ex litterarum comparatione, vt per Mascardum ibidem quæst. 12. per totum; vel tertiò per priuatam scripturam, de qua per eũdem quæst. 13. vel quartò, & vltimò per famam, de qua ibidem in d. quæst. 11. num. 21.

109 Sed hic ex pragmaticæ verbis; quòd vltimum de fama dictum est; non videtur tutum; cum illa quasi non semiplena distingui à semiplena probatione depræhendatur, ac per hoc dici tantum potest semiplenæ illam accedere, non autem inter semiplenas connumerandam esse.

110 Quicquid tamen sit; illa semiplena proculdubio affirmanda est; quicquid alias in contrarium Doctores concertauerint, iuxta notata per Glosam, & Bartolum in l. 3. §. eiusdem quoque, ff. de testibus, & plura alia cumulata per Mascard. de probation. conclus. 753. num. 3. & 6. vbi videas.

111 Nec mireris modò in pragmatica nostra fuisse factam de semiplena ex parte mentionem ab ipsa fama; † Nam hoc credendum eò fuisse præstitum, vt nempè sugesta supra Doctorum concertatio præcideretur, perferens famam semiplenam non importare, de qua per Mascardum loco citato.

Vndè ad alterum caput descendẽdum est, & sic ad eam probationem; quæ per publicam famã estruitur; in qua nè aliorum scripta huc transcribere depræhẽdar; illud tantummodo mihi in studiosorum gratiam attingendum duxi, vti videlicet fama ipsa super obiectis criminibus, & defectibus per testes legitimè comprobari intelligatur?

112 Et in hoc supponendo primum, quòd crimina, & defectus contra testes in spetie deduci debent, iuxta latè infra considerata in quarta consideratione; dicendum est non sufficere testibus ad reprobationem inductis affirmare examinatos ipsos pro falsarijs, infamibus, furibus & alijs similibus qualitatibus imbutis haberi; sed vlterius requiritur; quòd testentur eosdẽ emissarum depositionum tempore, pro talibus communiter fuisse habitos, & existimatos à maiori, & saniori populi parte; de cuius corpore sunt; vt optimè prosequitur Grammaticus in d. decis. 11. num. 12. allegando textum quem, vt ipse dicit, Bartolus reputauit mirabilem, in l. 1. C. de testibus, sequitur Troisius in pragmatica præallegata de Testium refrenatio. & innumeros pro more allegans Mascardus in conclus. 749. num. 2. & alijs sequentibus.

113 Et ratio colligitur ex eo; † quòd in testiũ depositionibus, earum receptarum tẽpus attendatur, iuxta infra alleganda in quarta considerat.

114 Receptui tamen canendo, in præmissis illud omittendum non est; quòd si iuxta supra notata, à testibus non probans deceptus, vel potentia Aduersarij impeditus iniuriarum pæna non tenetur; multò minus astringendus veniet pæna illa aureorum decem à pragmatica comminata; cũ hoc ipso casu penitus à presumpta calumnia; quæ ad ita statuendum adduxit, excludatur.

115 Ex quibus, & illud pariter concludi posse suggeritur; nec eum videlicet pæna prædicta feriendum esse; qui contra vnũ probatis obiectibus, cõtra alios nihil præstitisse comperiatur; constat enim indulto sibi termino eum vsum fuisse, ac in par-

te se defendisse, & si non ad victoriam; saltem ad imminentis pænæ vitationem.

116 Sed hic tandem quæreres; num saltim quoad eos, contra quos emissos obiectus non probauit, iniuriarum actione teneatur? Et dici sanè potest; quòd non; ex præstita enim in parte reprobatione, illum à præsumpta calumnia alienum esse affirmari potest; & sic pariter ab ea pæna, quæ nonnisi calumniantem insequi debet; circumscripta tamen protestatione, de qua supra, & iam expensis alijs exceptionibus, quæstionem intelligendo.

Præterea nè dum contra reprobatoriã dilationem obtinentes animo dilatandi, ac perperam, & per iniuriam crimina aduersus testes opponentes præcalendatis pænis certatum est; Sed, & Tertiò principaliter curarunt prouidi legumlatores, nè inductæ ad vnum finem dilationes, ad alium, per versutiam, contra communes regulas traherentur; vndè alia pragmatica sanctione constitutum est; incip. contingit sæpè 12. sub titulo de ordine iudicio. 117 † quòd in dictis obtemptis dilationibus non possint formari, & emitti articuli impertinentes, sub pæna tarenorum quinque pro quolibet articulo eiusmodi depræhenso soluenda per ipsum principalẽ producentem; 118 † Et tarenorum item decem pro quolibet, vbi per procuratorem eos præsentari contingat, soluẽdorum videlicet per ipsum procuratorem; intelligendo tamen vbi is speciale mandatum ad eos præsentandum non habuerit; quòd si cum speciali mandato præsentarit, iam in principalem pæna retrudetur; eo tamen quo supra modo taxata.

Sed cur maiori pæna multandum procuratorem, pragmatica ordinatum sit; si exquiras; Dicas id optima ratione factũ; quia maior calumnia cõsideretur in procuratore hæc ipsa ex se ipso operante; in quo non tanta affectio esse debet in alieno negotio, & tantò magis quòd ipsi Domini litis effecti 119 † calumniarum omnium inuentores, & effectores esse conspiciuntur; quò proprijs lucris cum temporum procrastinatione satagant; vt meritò curiarum canes ex hoc ipso fuerint nuncupati; dixi latius de primo, & secundo beneficio, considerat. 8. vbi videndum.

120 Hinc quò omnia discussa pro more procedant; eò confugiendum est, vt expendamus parumper qui nam articuli impertinentes iudicandi sint; quorum secundum procurantium stylum discussio fieri postulatur. 121 † Vndè pro generali resolutione considerandum est; Articulos alios dici antiquos; alios verò nouos; Antiquos rursus tripliciter distingui; Nam aut ponuntur eadem cum primis positis in termino principali, vt quia ibi non benè, vt res exigebat, comprobata fuerunt; vel ponuntur de directò contraria articulis aduersæ partis, quæ alias in principali termino poni debuerunt; vel denique ponuntur indirectè contraria positis per ex aduerso principalem in primo termino; de quibus omnibus habes Tu per allegatos per Farinaccium de opposit. contra examen testium quæst. 75. cap. 2.

122 His stantibus; quantum ad articulos idem continentes; vel de directò contrarium; dicendum est; quòd aut loquimur in causis ciuilibus, aut in criminum alijs persecutorijs.

In primo genere, ex vulgatis legum traditionibus, ac Doctorum commentarijs millies repetitis; clarum est, publicatione supposita, ac didicitis testificatis, testes super antiquis ob vrgentem subornationis suspictionem, amplius induci, & examinari non posse, nisi in casibus per scribentes insigniter exceptis in auth. atqui semel, C. de probation. & cap. fraternitatis de testibus; & præsertim per Bartolum in d. auth. atqui semel, & in d. cap. fraternitatis per Mariañ. Socin. in eius repetitione solemni; & proindè articulos pro eis examinandis formatos impertinẽtes censere oportebit, præcalendatis supra pænis coercendi erunt.

Secundò verò casu, & sic in causis criminalibus, rursus distinguẽdum est; quòd aut loquimur de Accusatore propositam quærelam prosequente, aut de Fisco per seipsum dũtaxat inquirentem, aut aliquo deforis promouente; vel denique, & quartò de ipso excipiente, & se defendẽte Reo,

Primo

123 Primo casu, vbi Accusatore assistente res agitur; idem obtinere dicendum est; quod supra in ciuilibus causis conclusimus; verissimum cum sit, ei, publicatione facta, non licere amplius ad Rei offensionē, testes inducere, iuxta notata per Doctores, in cap. cum clamor de testibus, & Petrum Surdum in decis. Mantuana 59. num. 10.

124 Quoad secundum; & sic in Fisco, illum ad repulsam non admitti, ex supra expositis est clarissimum; vbi sine accusatore ex officio procedit, licet ex alia parte, verum sit, posse illum testes alios contra notatū inquirere, & examinare, iuxta communiter notata, & conclusa per Doctores in d. cap. cum clamor, Milleum in eius praxi in verbo quartò Testis, num. 35. fol. mihi 36. Clarum in §. final. quæst. 61. num. 3. Carauitam super Ritu Curiæ 69. circa finem, latè per Surdum in dicta decis. 59. num. 10. Hippolitum de Marsilijs in praxi, in §. sequens num. 6. vbi videndum plenissimè per Farinacc. de opposit. contra examen testiū allegat. quæst. 75. cap. 14. num. 412. Nigrum in vulgato cap. Regni ab illo inchoandum num. 44. & Parisium in sæpè citato cap. fraternitatis num. 46.

125 † benè tamen verum est; quòd secundum Panormitan. & Butrium in d. cap. cū clamor melius, & iustius est; si pronunciatione habita in prima instantia formata; secunda inchoetur, vt ibi per eos, & quoad

126 principalem conclusionem attinet, † ea procedit; cum Fiscus solus inquirit; Nam si Accusator assistat, in contrarium est veritas, vt dictum est; & faciunt plenè discussa per Hippolitum in d. §. sequens num. 7. & 8. Milleum loco citato nu. 36. Clarum in d. quæst. 61. nu. 2. vbi alios allegando, ita communiter teneri asseuerat; Surdum loco citato, vbi nouissimè videndum, & Frācīscum Casonum in tract. singul. quæstio. cap. 15. de inquisit. nu. 14. licet pro contraria sententia plura allegare aduertatur Gomesius variar. resolut. tomo 3. c. 13. num. 34. vbi videndum.

127 Quæ conclusio ampliatur, vt procedat etiam, si aliquo promouente, iudiciū agitetur; quia ea promotio accusationis naturam redoleret, vt per Casonum loco citato, & Parisium in d. cap. fraternitatis allegato num. 46.

128 Limitanda tamen erit supradicta ampliatio, vt non procedat, videlicet si instante fiscali procuratore fieri examen petatur, vt benè habes per Tessaurum in decis. Pedemontan. 262. nu. 2. & per Farinacc. in allegato cap. 14. nu. 413. 415. & 418. & per Nigrum in d. cap. Regni ab illo inchoandum, Non enim is accusare creditur, & hæc quoad tertium caput.

129 Quantum verò ad quartum, & vltimū, & sic quoad Reum, illum non solum repulsam petere posse post publicationem, & in termino principali, iuxta supra considerata in prima considerat. & habes per Battandier in praxi regul. criminaliū Regula 14. Sed etiam ad sui defensionem, quādocunq. antè sententiam absque termini præfixione inducere posse, est probatissimum, † ac etiam post sententiam, cum

130 & iudex, pro suo officio debeat eius innocentiam inuestigare, iuxta plenè deducta per Capicium in decis. 81. & Bouerium in singula. in verbo Testis, num. 46. per textum, in l. vnius, §. cogniturum, ff. de quæstio. & plenè declarat Gomesius variar. resolut. Tomo 3. d. cap. 13. num. 33. Quæ

131 conclusio, & si iure vera sit; † de consuetudine tamen non seruatur, iuxta allegatos per Farinacc. in d. cap. 14. num. 423. Sed hæc consuetudo; quia à malis iudicibus, & crudelitatis ministris originē sortita est; propterea ad ius redeundo exterminanda est; nè Christiani cum simus ab Ethnicis in iustitiæ exercitio superemur; & facit, quòd de loco dextero Reo assignando Philosophus docuit problematum sect. 24. num. 11.

132 Quamuis quoad præmissa, alijs distinguere placitum sit; quòd aut agitur de causa capitali, & procedat præfata conclusio; aut de pecuniaria, & tunc quòd nō possit Reus post publicationem nouos testes examinare, iuxta plura allegat. per Surdum in consil. 118. num. 7. & Tessaurum in allegata decis. 262. num. 3.

Successiuè quantum attinet ad articulos continentes indirectè, vel directè contraria;

traria;quò terminis discussis procedamus; primùm videndum est, quid sit ponere directè, vel indirectè contraria; ex horum etenim enomenclatura facilè erit de impertinentibus in repulsa occurrentibus ar ticulis iudicium.

133 Quoad primum,ponere directè contrarium est; cum quis illud ponit; quod re ipsa, ipsoq. facto; & sic non per officium intellectus contrariatur positis per alterã partem; vtputa ego produxi articulum continentem in effectu te fuisse præsentẽ in certo negocio in loco contractus, illiq. consensisse, & tibi expresè præiudicasse. Tu verò publicatione facta,& didicitis testificatis alterum contra fecisti, videlicet. quòd illo eodem tempore à me posito in expresso loco non fueris. Certè dicetur articulus de directo contrarius ex eius facie, cum alterum primo loco à me factum per contradictoriam cõtradictionem tollat; quod contrariorum est proprium. Vel ego feci articulum; quòd contractus fuit spontè celebratus,nullo metu, nullaq. vi admistis,& in præsentia consanguineorũ; Tu verò fecisti alium continentem, quòd dictus assertus contractus vi, & metu fuit initus, ac sine præsentia memoratorum consanguineorum, & sic passim de alijs similibus consideratis per Marianum Socinum in allegat. reper. cap. fraternitatis in primo articulo principa. in quarta spetie, num. 17. & ibidem per Butrium, & alios.

134 Indirecta verò contraria probatio est, quæ non principaliter,& immediatè alterius partis perimit,vel debilitat probationem, sed per necessariam quandam consequentiam; quæ inquirentis, & discurrentis intellectus officio elicitur, & formatur; vt optimè explicauit Socinus in d. cap. fraternitatis num. 91. vers. aduerte tamen, il secondo circa medium, & prosequitur Butrius ibidem num. 14. in 3. spetie articulorum, in vers. secundò limitatur,quando testes; habes per Glosam in Clement. 2. de testibus,& alios allegatos per Petrum Surdum in decis. Mantuana 126.& 296.

135 Eius plura possunt exempla considerari; primum habes apud Capicium in decis. 62. incip. in causa; vbi illustriss. tũc Salerni Princeps litigans cum Don Ferdinando de Aragonia in principali termino probauerat,qualiter Don Ferdinandus prædictus certo tempore commorando in Terra Diani confessus fuerat se à dicto Principe de dotium solutione contra excipientem, integras dotes recepisse,facta deinde in causa publicatione, & didicitis testificatis,Don Ferdinandus ex dicta deducta per principem confessione loco, & tempore coarctata animaduertens se grauatum, obtenta prima Repulsa probare voluit,quòd ipse assertæ confessionis tempore alibi,in loco multum distanti à dicta Terra Diani fuerit;qua probatione facta, clarum est; quòd non tollitur immediatè per principem de cõfessione inducta probatio; sed per consequentiam quandam debilitatur; quia videlicet dictet intellectus: quòd si dictæ confessionis in tempore articulato dictus Don Ferdinandus Neapoli degebat; nullo modo secundum naturam esse potuit in Terra Diani distanti per bonas tres dietas;consequenter ibidem dictam assertam confessionem facere, probatur opitimè modus iste probandi in l. optimam, C. de contrah. & committenda stipulat. circa finem. Testes tamen hoc casu, si non per scripturam hoc monstrari posit, vndique idonei, & omni exceptione maiores esse debent, d. l. optimam.

136 Secundum exemplum esse potest. Ego probaui per duos testes, vtputa Titium, & Sempronium me tibi annis retro viginti,& sic in anno 1580. mutuasse centum. Facta publicatione Tu videns mutui asserti tempus; & perpendendo inductorum testium ætatem, tuũ induxisti in animum hos testes tale enunciatum mutuum somniasse; cum tempore asserti mutui in ea ætate fuerint; vt non potuerint illius rationabilem aliquam habere notitiam. Quarè in prima Repulsa ad eorum reprobationem ponis illos hodie, ac dictæ depositionis tempore non excedere vigesimum quintum annum, sed esse parum plus viginti annorum maiores. Hac facta

cta

cta probatione, non tollitur principaliter de mutuo à me quidem facta probatio; sed officio intellectus intermedijs examinatis debilitatur; considerando quòd isti testes tempore asserti mutui erant septennio minores; quo tempore quicquid videtur, ignoratur l. in negocijs, ff. de regulis iuris, & iuxta notata per Doctores in auth. sacramenta puberum, C. si aduers. venditor. ergò, &c. & habes similiter per Socinum in d. cap. fraternitatis num. 90.

137 Tertium sit exemplum. Ego probaui me mutuasse Titio centum Bononiæ per duos testes in tali tempore; Titius publicatione facta, intendit probare illos testes tempore asserti mutui alibi in loco multum distanti deguisse, & sic non Bononiæ, & consequenter ostendere, eos alibi vti commorantes non potuisse tale prætensum mutuum Bononiæ factum videre; de quo exemplo habes per Surdum in allegata decisione 126. sub numero 6.

138 His ita stantibus; dum quæritur; an in reprobatorijs dilationibus articuli directè contrariam probationem continentes impertinentes censendi sint? quia materia, ex opinionum diuersitate, satis inuoluta est, & difficilis. Ego primum subscribam regularem super ea cõclusionem, eiusque rationem subnectã; Deindè probatas ad eam restrictiones, & quoad rem nostram opportunas, tàm in Actore, quàm Reo afferam.

139 Quantum ad primum; Regula est; non posse quemque post publicationem, & testificata didicita ad probandum idem, & de directò contrarium positis per alteram partem inducere, & examinare, ex vulgaribus supra iuribus, videlicet in auth. at qui semel, & d. cap. fraternitatis, & ratio est ob timorem subornationis testium, quæ subingredi posset; facilè enim esset, data hac vlterius producendorum testium libertate, aliquos instruere; qui iam inductam veritatem perderẽt; quæ sanè ratio adeò vrgens perpensa est, vt in excipiendis casibus non parum per scribentes fuerit insudatum.

140 Vndè ad eos decurrendo, prædicta conclusio limitatur primò, vt non procedat; si primorum testium in primo termino examinatorum allegetur falsitas cum corruptione. Quæ limitatio in præcitatis locis probatur ab omnibus, & præsertim per Imolam in allegato cap. cum clamor, & latè prosequitur Surdus in d. decisione 126. num. 4. & decis. 296. & per Socinum in d. cap. fraternitatis. † & ratio est, quia hoc ipso casu per corruptionis allegationem, tollitur illa subornationis præsumptio; quæ ad supradictam regularem conclusionem construendam, tàm validè considerabatur. Vel etiam, quia antè publicationem, quòd testes per corruptionem deposuerint, non potuit pars aliquam habere notitiam; vndè ei meritò obstare non debet in causa facta publicatio, saltem per illam iuris vulgatam dispositionem; † quòd quæ de nouo emergunt; nouo indigent legum auxilio, & si argumento vti necesse est, accedat, quòd corruptionis exceptio tanti est roboris, † quòd si aduersus sententiam intendatur; eam nullam efficit; vt per Marian. Socin. ibidem; ergò multò magis publicationem infringere, & nouorum testium idem, & de directò contrariam probationem continentem intromittere poterit.

(141, 142, 143)

144 Secundò limitatur, vt non procedat, si deducatur contrarium ad reprobationem reprobatoriorum in secundo Repulsæ termino, & idem ad confirmationem priorum, vt per Butrium ibidem, & Socin. num. 84. in vers. secundò limitatur. Dixi ad reprobationem reprobatoriorum † quia nõ possunt in secunda repulsa principaliter reprobari probatorij testes in termino principali examinati. Dixi etiam in secundo Repulsæ termino; quia antequam publicentur reprobatorij in prima repulsa † non possent ipsi reprobari; alias enim non expectata publicatione, reprobatorij reprobatoriorum prius fortasè examinarentur, quod considerari nõ potest; vt per Surdum in d. decis. 296. & habes plenè exemplificatum per Capiciũ

(145, 146)

in d.decis.62. vbi videas in secũdo exempli capite. Addendo etiam,† quòd si dicti reprobatorij non reprobarentur, non possent priores inducti per nouorum examinationem confirmari. vt infra, & habes per Aretinum in d. cap. fraternitatis num. 66.

147

At diceres modò, non nè hæc confirmatio respicit factum principale? verbi gratia: Dixi me tibi mutuasse centũ, examinati ad hoc testes addiderunt factum plenè narrantes, quòd fuit factum eiusmodi mutuum Capuæ de mensæ Martij; Tu in Repulsa probas Te eo mense Capuæ nõ fuisse; Ego rursus in secunda Repulsa Te vtique Capuæ fuisse comprobo, non nè hoc est idem ponere cum primis à me positis. Et tamen videtur, quòd minimè liceat; quia locus, & tempus, tanquam necessariæ circumstantiæ erant à me plenè deducenda. † Tu tamen resoluendo, dicas; quòd hæ circumstantiæ, licet sint facto cohærentes, tamen probationis necessitatem non ingrediuntur; vt in l.testium, C.de testibus, & in auth. de testibus, in §. licet dudum, & prosequitur Socin. in d. cap.fraternitatis num.66. vt intelligas secus esse in his, quæ sunt de probationis necessitate; vt in titulo, & bona fide in præscriptionis causa; quemadmodum latè habes per Marian. ibidem.

148

149

Ad principalem tamen limitationẽ redeundo; vndè digressi sumus; ea fuit declarata habere locum; vbi Actor videlicet plenè probauit per duos testes suam intentionem; facile ènim hoc casu subornationis timor; qui rationem præfatorum iurium construere aduertitur, cessare depræhenditur; cum verisimiliter hos de nouo inducendos testes ipsum habuisse tempore primi examinis præsumendum sit, ac eos tanquam supernumerarios tunc examinari non curasse, ad euitandos labores, & expensas, qui in examinibus cõstruendis maximi fiunt, † quòd, & multò præterea magis affirmari poterit, si olim in probatorio termino adscripti, vel citati fuissent; Nam magis, & amplius subornationis damnata suspictio cessaret; tunc enim non tàm cõtra articulare, quàm iam debilitatos inductos cõprobare velle intelligeretur; atque ita ex actu practico in Sacro R. Concilio vigenti concludere depræhenditur Afflictus in decis.216.nu.4. & 5. sequiturq. hunc passum præ cæteris exactissimè discutiens Petrus Surdus in decis. 126. num. 10. & in allegata altera 296. Vrsillus in d. Afflicti decis. num. 2. Menoch. de arbitrarijs iudicũ quæst. 34. num.15. † Facit in simili; quòd de repulsa concedenda post conclusum scripsi supra considerat. prima, & quod notabiliter voluit Bouerius in eius singul. in verbo Testis, nu.19. dum dixit, † quòd si testes, per quos Actoris intentio erat probata, repelli contingat per excommunicationis exceptionem, vel aliud quodlibet crimen; quod tunc restitui potest Agens ad producendum alios, vel eosdem, impedimento cessante; ergò idem, & in casu nostro, stante ipsius Actoris testium debilitatione facta per Reum; & sic aliquid ei imputandum non est, qui benè credidit se ad victoriam probasse. Dixi plenè probauit, † ex quo si non plenè probasse eum supponamus, contraria sententia probanda esset, & sic formatos articulos impertinẽtes iudicandos esse; præsumptio etenim tunc est; quòd publicatione facta aliquos instruxerit, atque ita simpliciter probare velle videtur, cum ad priorum confirmationem eos producere, intelligi non possit, vtcunq. perperam inductos reprobatorios reprobare intenderet, vt habes per Afflictum loco citato nu.1. & facit; quòd & si articulus prædictus confirmatorius priorum sit impertinens quoad repulsam, sustinetur tamen; quia coniungitur cum pertinenti directo, videlicet ad reprobationem reprobatoriorum, iuxta allegata per D. de Anna in eius allegatione 77. num. 9.

150

151

152

153

Aduertendum tamen est, quoad præmissam limitationem, quòd non simpliciter tenendam illam voluit Paulus Parisius in d. cap. fraternitatis num. 71. & 72. voluit enim, tunc illam locum habere; cum quoad personas testes reprobati fuerunt;

154

fuerunt; secus verò si quoad dicta; & hoc ex eo; quòd primo casu crediderit illos habiles; secundò verò potuerit cogitare eosdem quoad dicta, reprobari potuisse, quòd ipsum prçuidens quotquot habebat testes inducere, & examinare debebat; quòd si non fecerit sibi imputandum est. Potest hoc Pauli pronunciatum comprobari ex allegato supra Bouerij notabili, quòd hic inducas, † & facit vlterius, vt per eum, quia repulsati quoad personas à talionis pœna producentem excusare dignoscerentur; secus verò, si fuissent reprobati quoad dicta ex doctrina speculatoris in titulo de calumniator. in fine, & Innocentij in cap. auditis de procurato. Quicquid tamen sit, illam simpliciter in sacro Regio Concilio receptam testatur Afflictus loco citato; quarè temerè recedi non potest; licet tutius ipse existimem Pauli distinctionem sequi.

155

156 Nouissimi tamen in praxi S. Regij Concilij in sexta parte, in Glosa momentum num. 5. & in Glosa sui num. 4. dicunt Afflicti decisionem intelligi debere procedere, in casu in quo allegaretur falsitas cum corruptione, iuxta præcitatam limitationem, idq. deducunt ex finalibus verbis dictis per eundem Afflictum in d. decis. & tantò magis subiungunt; quòd ei obstat Regia pragmatica incip. contingit, sub titulo de ordine iudicior. & Imolæ distinctio in vulgato cap. cum clamor, de qua per Surdum in d. decis. 126. num. 4.

157 Tu verò dicas Afflicti dictum non posse intelligi in casu deductæ corruptionis, quia ibi multas practicas in materia commemorat, & vltimo loco illam de corruptione subscribit, & sic penitus ab illa priori distincta est; benè tamen obstat Regia pragmatica; quæ clarissimè idem, & de directò contrarium poni vetat, nisi in casu restitutionum, prout in ea. Et sic cũ permittat per remedium beneficiorum satis eiusmodi limitationes excludere videtur, & tantò magis, † quòd articulus respiciens factum principale in causa, dicitur omnino in repulsa impertinens; cum in ea non sit de principali negocio intentio, vt habes per Dom. de Franchis in decisione 220. num. 13.

158

159 Sed fortalsè corruptè Afflictus ibi loquitur; † Nam idem repetens in Regni constitutione incip. Iurisperitorum num. 12. figurare deprætenditur casum in indirecta contraria probatione; & refert se ad dicta in allegata decisio. 216. in qua procedere propositam conclusionem proximè audies.

160 Secundò principaliter, quantum ad indirectè contrariam probationem attinet, & eius supra posita exempla; formabis contrariam conclusionem; quòd facta publicatione; siuè in primo termino probatorio, siuè in prima repulsæ dilatione, erit licitum idem deducere, & de directò contrarium; & quidem tàm per Actorem, quàm per Reum, vt declararunt Petrus, Cynus, & Salycetus, in l. si quis testibus, C. de testibus, Innocentius in cap. ex tenore extra eodem; Glosa in vulgata Clement. secunda de testibus, & prosequitur Socin. Marianus in d. cap. f. aeternitatis num. 91. habes per alios in præcitatis cap. ex tenore, in cap. cum feries, & in cap. cũ clamor, & est bonus textus in ca. cum in Tua secundum vnum intellectum d. tit. de testibus. Dixi primo loco tàm per Actorem, quàm Reum, vt habes perbellè in Capicij exemplo, & alijs supra descriptis.

Sed hic quærò quæ nam sit diuersitatis ratio inter directè contrariam, & hanc indirectam? Cum secundum Cardinalem eadem sit vtriusq. mensura; & per hoc nulla in iure valeat inter eas diuersitas considerari? vt habes per eum in Clement. testibus de testibus, & habes per Surdum in d. decis. 126. sub num. 13. in vers. nec resistit; & num. 14. Vndè meritò Glosam arguentem legimus in cap. si quis testibus 4. quæst. 3. quòd si non licet ponere de directò contrarium, ergò neque, & indirectè contrarium.

161 Dici tamen pro veritate potest; plurimum inter vtramq. probationem interesse; Nam in prima directa manifestus est subornationis timor; & cum simus in intentione principali, vel contradictoria exceptione vnusquisq. potuit, vt debuit, se præmunire, & examen complere, l. 1. ff. de eden-

edendo, & sic meritò sibi imputari debet; quòd quasi inermis ad iudiciariam pugnam prosilierit.

At indirectè contraria alia versatur super eo, in quo pars altera antè actualem notitiam deliberare non potuit,& se præmunire; ergo meritò ei,tanquam non doloso succurrendum est. Exemplum de indirecta. Non potuit Don Ferdinandus cogitare principem fecisse articulũ, quòd ipse existens in Terra Diani cõfessus fuerit se integras dotes recepisse; quia hoc non erat essentiale facti principalis;& idcirco admissus fuit ad probandum in primo Repulsæ termino ipsum eo tempore assertæ confessiones fuisse in loco multum distanti, & propterea ibi non commanuisse.

162 Præterea hæc indirecta probatio non est tantæ potentiæ, vti est ipsa directa, non enim tollit primo loco factam probationem,nisi per consequentiam officio intellectus extrahendam; vt supra est animaduersum. Ipsa verò directa illam ex natura contrariorum perimit; quæ se inuicem tollunt, iuxta Glosam in d.cap. si quis testibus 4.quæst.3.quem refert,& secutus est Lallus de Tuscia in Regni constitutio. in pecuniarijs num. 20. † atque

163 indè est, quòd ad indirectam probationẽ construendam maior testium numerus efflagitatur, in numero videlicet dignitate, & qualitate, vt prosequitur Socin. in d. cap. fraternitatis sub nu. 91. in vers.item aduerte; quòd quando,& de hac indirecta habes per Albericum de Maletis, in tract. de solemnitate, introductio. & examinat. testium cap.7. num. 120. & 129. Nec per hoc obstat allegata Glosa in d. cap. si quis testibus; nam potest intelligi habere locum secundum quod in proxima limitatione subijcietur.

164 Quæ tamen de indirectè cõtraria probatione dicta conclusio est; communiter restringitur per scribentes, vt non procedat in casu, quo quis de his circumstantijs potuit ex alterius partis articulis benè instrui; Nam tunc dicitur, quòd debet sibi antè publicationem cauere,& omnes,quotquot habebat testes examinare.

Hæc ipsa rursus limitatio, licet per Surdum reprobetur in d. decis. 126. sub nu. 13. vers. nam negatur; confirmatur tamen latissimè in allegata decis. 296.num. 3. vsq; ad finem; & in d.decis.126. num. 5.6.& 7. in vers. vbi tamen intelligit.

165 Sed dices, vti quis hoc resciuisse intelligi poterit? vt modo prædicto eum ab vlteriori productione excludi contingat? Dicas ex articulorum concessione illis curijs,in quibus concedi solent, hoc considerari posse; cum in sacro R. Concilio non concedantur, vt per Afflictum in decis. 33. num.3. & D. de Franchis in allegata decis.220.

166 Sed rursus diceres; si copia articulorum conceditur,datis,& præsentatis prius exceptionibus Rei, vel Actoris articulis, vti quis sibi poterit præuidere? Dicas Tu hoc fieri posse articulorum additione, vt clarè sensit Socin. in d. cap. fraternitatis, num. 91. vers. aduerte tamen, il primo,

167 dum inquit, † Et ratio in promptu est; quia pars aduersa videns in primis articulis expressum tempus,& locum; potest sibi immediatè prouidere antè publicationem faciendo articulos qualiter illa die fuerit Parisijs; & sic per articulum additum,alias post publicationem non admitteretur,etiam si quis fuisset antè publicationem protestatus, vt per eundem Socinum in d.num.91.in vers. aduerte tamen, il secondo.

168 Non tamen illud hic,pro complemento duximus conticendum; quòd,& si Repulsa; & defectuum propositio contra testes principaliter non dirigatur; nec ex eorũ probatione, casu quo in genere prohibitorum ipsi includerentur, puniri possent, vt supra considerat.1.num.181.expositum est; & habes per Florianum in l. proindè, §. notandum num. 6. ff. ad leg. aquiliam. Nec etiam ex hoc in omni alia causa reprobati intelligantur; vt infra Considerat. 3. nu.98. tamen quia eorum opinio posset aliquo pacto grauari, vt ibidem plenius subijcitur; non solum pro eius iure tutando, producens ipse ad eorum confirmationem,testes,vt dictum est, inducere potest; sed etiam ipsimet, ad

propriam

propriā existimationem sustentandam se confirmare poterunt, & aliorum testium inductione eorum personas, & dicta commendare; vt per Felinum in cap. testimonium col. vltima de testibus, & Baldum in singul. 20. per text. in vulgato auth. nisi dicatur, C. eod. tit. & in corpore, vndè sumitur, & per Nouissimos in allegata praxi Sacri R. Concilij in Glosa termino Repulsæ num. 11. Et hæc pro his notata sufficiant; Nam si quæ desiderantur cætera in prima forsitan consideratione inuecta reperies; ad Dei laudem, & patronorum Sanctorum.

CONSIDERATIONIS TERTIAE

RERVM SVMMAE.

1 *IN summarijs causis, quoad personas, Repulsa non admittitur.*
2 *Summarietas causarum multipliciter spargitur.*
3 *Causæ omnes in Regno summariæ effectæ sunt.*
4 *Quæ causæ summariæ repulsam non excludant.*
5 *Causæ summariæ principaliter quæ esse intelligantur.*
6 *Causæ possessorij, legitimationis personæ, & similes summariæ sunt.*
7 *Quoad repulsas, inter causas summarias distinguitur.*
8 *Causæ summariæ quam diuersimodè probationem sortiantur.*
9 *In causa edicti Diui Adriani præsumpta probatio sufficit.*
10 *In causa executionis retardandæ non esse repulsæ locum concluditur.*
11 *Vti nec beneficia competere alibi demonstratum est.*
12 *Idem in executionis in personam relaxatæ suspensione.*
13 *Pro hac sententia Auctor iudicauit in Curia Baiulationis.*
14 *In incidenti filiationis causa repulsam admitti, quis voluerit.*
15 *Contrarium vti communiter probetur.*
16 *Alimentorum causæ priuilegia.*
17 *Fallit in reprobatione quoad dicta, ex scripturarum inspectione.*
18 *Fallit in causa alimentorum de præterito, etiam quoad personas.*
19 *An in causa attentatorum repulsa detur, non parum controuersum.*
20 *Attentatorum causa summaria est.*
21 *Eorundem extraordinarium iudicium dicitur.*
22 *Quòd in causa attentatorum repulsæ locus sit, qui voluerint.*
23 *Repulsa in causa prædicta antè publicationem reseruata, calumnia cessante, negari non potest.*
24 *In dubio an calumnia subsit, iudicis erit in arbitrio decernere.*
25 *Num in causa summarijssimi detur, quæritur.*
26 *Summarijssimum, alias asinarium dicitur, & vti in eo procedatur.*
27 *Quòd in eo iudicio repulsæ non sit locus, concluditur.*
28 *Nec etiam per viam interrogatoriorum.*
29 *Fallit in possessorio plenario, & quod illud sit.*
30 *In sequenti plenario etiam qui in summarijssimo testes inducti sunt, reprobari possunt.*
31 *Præiudicium omne in summario illatum potest in plenario reparari.*

32 *In summarijs, in quibus aliud postea iudicium non expectatur, repulsa neganda non est.*
33 *An in causa legitimationis personæ repulsa competat, distinguitur.*
34 *Tertius comparens ad sententiæ executionem retardandam quid præstare debeat.*
35 *Contra probationem per dictum Tertium factam non dari Repulsam concluditur.*
36 *In legitimatione incidenter deducta non datur.*
37 *Fallit in legitimatione principaliter facienda, & cur.*
38 *Ratione causarummet Repulsam negari deducitur.*
39 *Quæ illæ sint, enumerantur.*
40 *Primum non datur in crimine læsæ Maiestatis.*
41 *Dummodò testes deponant super facti substantia.*
42 *Frustra admittitur, quod admissum non releuat.*
43 *Fallit in teste inimico capitali, & cur.*
44 *In causa hæresis, cum inhabiles tolerentur, nec Repulsæ est locus.*
45 *Vt inhabiles testes admittantur, plura concurrere debẽt, & quæ sint.*
46 *Inhabiles ad probandum adminicula non sunt idonei.*
47 *Testes inhabiles ad quæ prodesse possint.*
48 *Quòd Accusatore promouente inhabiles admittantur, & è contra.*
49 *Repulsa cessat in causa blasphemiæ.*
50 *Fallit, si ex causa capitalis inimicitiæ petatur.*
51 *Etiam pragmaticis attentis.*
52 *Quòd simpliciter in causa blasphemiæ concedenda sit, qui voluerint.*
53 *Romani in hoc distinctio memoratur.*
54 *In blasphemia non notoria competere Repulsam concluditur.*
55 *Item ex capite conspirationis, quod declara, vt subijcitur.*
56 *In casibus, in quibus inhabiles admittũtur, nunquam duo sine alijs adminiculis sufficiunt.*
57 *In causa manifesti vsurarij Repulsa non competit.*
58 *Ex singularitatis vitio non datur, ex pragmatica.*
59 *Capto in fragranti crimine non datur Repulsa.*
60 *Remoto genere, quælibet eius species aufertur,*
61 *In furibus hodiè quid seruetur.*
62 *An in secunda instantiâ repulsæ locus sit, exquiritur.*
63 *Testes examinati in termino ad non posita ponendũ reprobari possunt.*
64 *Quòd examinati in prima instantia non possint in secunda reprobari, qui voluerint.*
65 *Quòd possint è contra reprobari, qui voluerint.*
66 *Stante negatiua, vti contrarijs respondendum sit.*
67 *Supposita affirmatiua, quid rursus respondendum.*
68 *Plena pro resolutione distinctio affertur.*
69 *Repulsa in prima instantia non petita, de his, quæ post in notitiam peruenerunt, in secunda concedi potest.*
70 *Repulsa quoad dicta simpliciter concedenda.*
71 *Etiam quòd fuerit petita, & cõcessa in prima, & non fuerit prosecuta.*
72 *Repulsa negata in prima instantia, in secunda plenè concedi debet, vbi expediat.*
73 *Repulsa iudicis facto omissa, etiam post sententiam, re integra, concedi potest, & vti procedat.*
74 *De Repulsæ effectu proponitur inuestigatio.*
75 *Leuiter diffamatus, qui carcerari nõ potest, si ad eam diffamationem diluendam repulsam petat, an carcerari debeat.*
76 *Quòd carcerari non possit, concluditur.*
77 *Etiam quòd Reus se carceratione dignum censuerit.*

Insci-

DE REPVLSA ET REPVLSA REPVLSAE PRIMAE PARTIS.

CONSIDERATIO TERTIA.

QVIBVS IN CAVSIS REPROBATIONI NON PATEAT *locus, ac simul de multiplici Repulsæ effectu, & potestate non inconcinnè subijcitur.*

SED tempus est, vt ad causas, in quibus reprobationibus locus non est, recensendas, notandasq. decurramus. Qua in re illud primò generale pronunciatum in medium afferendum duximus, † in summarijs videlicet causis repulsam ipsam non admitti; vt indè singulas speties, pro exactiori explicatione, subnectamus. Intelligendo tamen quoad personas tantum, iuxta Abbatis antiqui determinationem in cap. veniens, il primo de testibus, quam ibidem Butrius sequitur.

2 Quia tamen summarietas in causis latè patere intelligatur, feraturq. ad diuersa; propterea hic Tu summarias causas non intelliges, quæ ex accidenti, vel secundum posterius summariæ effectæ sunt; 3 cuiusmodi† omnes in Regno per Capitulum detestantes, & Regiam pragmaticam dispendia litium, esse exaudiuntur: Nam illæ, quantum ad occurrentes in eis legitimas dilationes, & defensiones, satis, & amplius inter ordinarias; quibus opponuntur, computantur, † Vndè & nostram Repulsam, alioquin optimam defensionis spetiem, vt suo loco deduximus, nequaquam excludunt, vt in extrauaganti ad reprimendum in verbo, & figura. Bartolus voluit: ibi, *non possent impugnari testes*. per Paridē de Puteo in tract. syndicatus, in verbo inquisitio, in princ. in vers. benè nota, quòd quando, & faciunt notata per Felinum, & alia ibidem post eum addita in cap. veniens, il secondo, de testibus nu. 13. in verbo defensiones, quicquid secus Troisius, & Grauinates Pandus in d. pragmatica dispendia litium senserint, nisi pro eis dixeris, vt infra.

5 Quarè cōsequenti loco eas summarias causas adscribemus, quæ principaliter, & suaptè natura summariæ esse perferuntur; in quibus alias explicandis, complendisq. etiam semiplenæ probationes recipiũtur, ac satis sũt, & maximè si fauorabiles sint; & hoc ex eo, quòd præparatoriæ ad ordinarias, & principales causas esse credantur, in quibus vbi aliqnod cuiq. præiudicium infertur, in consequentibus plenarijs facilè reparatur, & sic nullius est momenti, vt habes per Alexand. Iasonem, & alios in l. à Diuo Pio, §. super rebus, ff. de re iudicata, 6 † Cuiusmodi causæ summarijssimi possessorij, Legitimationis personæ, Tertij comparētis, & similes esse censentur, vti optimè aduertitur considerasse Menochius de arbitrarijs judicum quæst. 32. num. 6. & habes per Stiaticum in eius praxis cap. 17. num. 48. licet re vera proposita per Stiaticum distinctio, cum altera per Menoch. allata non conueniat. 7 † Nam secundum Menochium aliæ sunt causæ summariæ, quæ plenam requirere probationem cognoscuntur: & in eis Repulsam negari non posse, clarissimum est, quia eadem in eis probationis summa exigitur; quæ in ordinarijs regulariter obtinet, ac easdem debent instantias sortiri.

Aliæ

8 †Aliæ verò sunt,quæ semiplena gaudent, vel alia apparenti, vt legitimationis personæ ad effectum impediendi sententiæ executionem, item possessorij summarijssimi, Item causa attentatorum, Alimentorum alia,& cum ad executionis iam factæ retractationem, esse executum in bonis alienis allegatur,& alijs, de quibus in vniuersum, an reprobationes in eis locus pateat,pro nostro instituto, in consideratione hac videndum est.

Aliæ verò,quæ leuem,& præsumptam, seu apparentem efflagitant tantum, † vt est in causa l. vltimæ, C. de ædicto Diui Adriani tollendo,vbi quis præsentans instrumentum non cancellatum, nec in aliqua sui parte abrasum, vel corrosum, & proindè non suspectum se in defuncti Testatoris bonorum possessionē,de eius morte summariè constito, immitti petit, nullo existente legitimo contradictore, iuxta ibi plenè per Doctores notata, & præsertim per Zuccardum altè materiam repetentem,& de alijs plenè per D. Ozasci in decis. Pedemont. 1.num.5.

10 Et ordine conuerso in relatis,exordiendo; si quæras in causa executionis retardandæ an reprobatio competat; breuiter dici potest; quòd licet in ea semiplena probatio sufficiat,iuxta notata per Doctores in d.l. à Diuo Pio, §. super rebus,& in causis requirentibus semiplenam, repulsam debere admitti Zuccardo placitū fuerit in d. l. vltima num. 301. Menochio in d.quæst. 32.in d.num.6. & Farinaccio de opposit. contra person.testium quæst.62. limitat.9.num.201. In ea tamen nullatenus illam admitti debere,iure probari magis depræhenditur;& hoc ea ratione,quia in illa non de irreparabili prçiudicio agatur, ex quo non exequendi ius in eo iuditio tollitur, sed tantum res ipsa executa

11 ab eo iure subtrahitur: † vndè neque etiā beneficia competere in tractatu de primo, & secundo beneficio considerat. 4. ostendimus; quarè si in generis eiusmodi causis,alioquin fauorabiles restitutiones cessant, ergò multò magis interdum odiosæ ipsæ plurimum repulsæ, vti in prima consideratione prosecuti sumus.

Idem sanè,& vbi de executionis personaliter in aliquem faciendæ suspentione, trattandum esset, affirmari posse videtur, 12 vt cum à militibus nostræ nouæ militiæ probatur ipsos arma dictæ militiæ necessaria penes se habere, ad effectum nè propter æs alienum in soluendo morosi carceribus mancipentur; Nam contra testes ad id probandū admissos, repulsa, vbi peteretur,concedenda non esset,† prout me- 13 mini me in Curia Baiuli in facti contingentia iudicasse, ex quo non tolli, vt supra, sed suspendi potius exactionem, seu executionem contingat.

14 Præterea, quia in causa alimentorum, dum de eis obtinendis agitur, de filiatione summatim edoceri debet; quæsitum est, an contra testes comprobantes repulsa concedenda sit? & concedi illam debere in supra citata l. vltimæ repetitione Zuccardus voluit nu.304. habes per Menoch.in d.quæst.32.num.10.& Farinacc. ibidem num.205.

15 Quicquid tamen sit,contrariam sententiam, amplexus est Romanus in suo singula.388. incipiente reprobatio sub num.2. Secutus est Curtius Iunior in d. l. admonendi num. 68. & Vrsillus in vulgata Afflicti decis.351.in principio;quia summarium prorsus,vitę fauore,ex quibus quippè cum illa dependeat, iudicium sit, † vt 16 etiam feriata die,& de plano expendi posse,illi depræhendatur indultum, vt in L.2. de ferijs, habes post Afflictum in Regni constitutio. Dignum in littera A. circa finem, & Brunorum in compendio vtriusq. iuris in verbo Alimenta.

17 Quæ sic allata conclusio limitari primò potest, vt non procedat in reprobatione, quoad dicta,vbi, ex scripturarū inspectione reprobatio ipsa eliceretur, vt per Menochium ibidem d.num.10. in fine,& Farinacc. loco pariter allegato nu. 210. Rei etenim euidentia non parum, ad aliquid permittendum, vel negandum, iudicantem inducere potest.

18 Limitatur,& secundò; vt non procedat in causa alimentorum de præterito; quia quoad ea, supra dicto vitæ fauore cessante,causa ordinaria dicitur secundum Bal-

dum

dum in l. si quis in suo num. 5. C. de inofficio. testamento, & in l. 1. C. de fideicommissis, quarè in ea repulsæ locus præcludi non posset, neque etiam quoad personas inductorum testium.

19 Consequenter num in causa attentatorum repulsæ locus dandus sit, non parum quæsitum est, vt videre licet apud Afflictū in vulgata eius decis. 351. Et in summa pro negatiua sententia, quòd ea videlicet

20 concedenda non sit, considerat † attentatorum causam summariam esse; ex quo iudicis implorato officio, eorum de plano, & sine aliqua libelli porrectione, reuocatio, seu restitutio fieri petatur, vt in cap. 1. & per totum titulum extra, vt lite pendente, cum alijs per eum ibidē allegatis. Con

21 siderat & secundò † extraordinarium esse eiusmodi iudicium, vt in cap. non solum, vbi Io. Andreas de appellat. in sexto, & proindè reprobationem cessare debere, nè dum quoad personas, sed etiam quoad dicta, vti voluerunt vterq. Abbas, & Io. Andreas in cap. veniens de testibus, secutus est per plura Capicius in decis. 55. & Scaglionus in Ritu Curiæ 73. & 74. in fine.

22 Contrariam autem sententiam, quòd imò ea in causa reprobari testes valeant; voluerunt relati per Menochium in d. q. 32. num. 9. & per Farinacc. in d. limitat. 9. num. 203. Et ratio considerari potest, quòd cum repulsa species sit defensionis, ea non nisi ex legitima causa auferri possit, supposito, quòd nec in extraordinarijs Testium iniquitas semper deficit, ergò neque & læsis deficere repulsa debet. Quid dicendum? Breuiter ita res definita est, vt si non per calumniam illam peti contingat; quòd tunc, iuxta supradicta, negari non possit.

23 Dummodò tamen pars ipsa antè processus publicationem repulsæ petitionem sibi reseruauerit, vel de calumnia iurauerit, ad eius presumptionem præcidendam, vt plenè habes apud decision. Perusinam 86. num. 3. & 4. & Afflictum loco citato num. 7. & 8. Vndè, & illa pariter conclusio descendit, quòd si per calumniam, & sic animo differendi iudicium, ea post publicationem petatur, vt puta quia nec de calumnia iuratum sit, neque reseruatio aliqua præmissa fuerit, iure tunc ea negari poterit, prout illam in præmissis terminis in S.R. Concilio negatam fuisse, retulit Afflictus loco citato, quem refert, & sequitur preallegata decisio Perusina 86. d. num. 3. & per plura Menochius in d. quæstio. 32. num. 2. 3. & 4. & nouissimè Farinaccius in d. limitatione 9. num. 204.

24 † Illo etiam hic subiecto; quòd si non intercedat manifesta petentis calumnia; sed de ea iudex ad suspicandum ex aliquibus coniecturis perducatur; quòd tunc liberum sibi arbitrium erit, an negare, vel concedere illam velit; vti habes per Menochium ibidem, & Farinacc. in d. limitat. 9. num. 198.

25 Denique quid in causa summarijssimi possessorii dicēdum sit, quærere intermissum non est, & breuiter concludere poteris, cessare in ea reprobandi facultatem:

26 † intelligendo summariissimum; quod asinarium dicitur; quippè, cum in eo nec libellus, nec forma aliqua ordinarij iudicii requiratur, nec positiones, & capitula efferantur, nec appellatio, aut supplicatio, nec allegatio aliqua exceptionis iuris Tertii admittatur; etiam quòd exclusiua illa sit iuris Agentis; sed celeriter, ob more periculum in eo proceditur, non aliter citata parte, & iuratis testibus, & quæ in eo fertur interlocutoria est, & quidem reparabilis in plenario possessorio, vel petitorio subsequenti; prout de prædictis omnibus habes per Rolandū à Valle in consil. 8. incip. sententiam latam num. 31. & 32. vol. 4. Caualcanum in decis. 69. alias 32. de contractibus num. 105. D. Ozasci in decis. Pedemont. 1. num. 11. & Baldum in c. 1. §. si duo de pace tenenda; & quòd in eo iudicio nec testium ipsa reprobatio admittatur, habes per Capicium in d. decis. 55. num. 2. Caualcanum loco allegato, Vrsillum in vulgata Afflicti decis. 351. num. 2. & Farinacc. in allegata limitat. 9. num. 195.

27 † Illud enim eo intentatur, ac fit, nè videlicet partes de possessione contendentes, assiduè reluctando, dum effferuescunt, ad arma recurrant, & habes

per

per D. de Anna in allegat.84.num.10.

28 Quæ conclusio ita posita ampliatur, vt non solum non possit fieri reprobatio per testium inductionem ad obiectiones probandas in statuenda ad hoc dilatione, sed nec etiam per interrogatoriorum propositionem ipsis examinandis testibus faciendam, cum, & illa in hoc ipso iudicio cessare clarissimum sit, vti habes per Caualcanum loco citato, de qua reprobationis spetie infra in quinta considerat. latius differetur.

29 Ex quibus ita positis alia in cõtrarium firmari conclusio potest; quòd videlicet si non simus in summarijssimo possessorio, sed plenario altero; in quo plenè de possessione cognoscitur; nec aliud post illud, quàm petitorij iudicium expectatur, tunc repulsæ locus negari non potest, vt per Menoch. in d.quæst. 32. nu.8. Aretinum in cap. veniens col. 7. & 8. de testibus, Farinacc. in d.limitat.9.num.202.& meminit Nouissimus de modo articulandi in Glosa 3.§.1.num.37.

30 Quantum verò ad id, quod dictum est; testes videlicet in summarijssimo inductos reprobari non posse; intelligas Tu procedere in eiusdem iudicij instantia; Nam si plenariũ deindè institui contingat, in eius cursu non solum testes in eo inducẽdi reprobari poterunt, sed etiam in antecedenti summarijssimo ipso prius recepti, vti habes per eundem Caualcan. loco citato d.num.105. in fine, & hoc per sæpè iactatam iuris dispositionem; † quòd præiudi-
31 cium in summario iudicio illatum; potest in sequenti plenario reparari.

32 Atque indè etiam alia conclusio descendit, quòd in omnibus alijs possessorijs, & similibus cæteris summarijs causis, † in quibus aliud non expectatur subsequens iudicium, & decretum; semper repulsæ decernendæ erunt; & hæc ipsa illa distinctio est; quam à Stiatico considerari, supra diximus, an autem in dictis causis beneficiorum restitutiones dentur, habes in tract. de primo, & secundo beneficio, Considerat.4. vbi videas.

33 Tandem nunquid in sæpè occurrẽti in iudicijs personarum legitimatione repulsæ locus perscribendus sit, quæri potest; qua in re, ita rem perstringendo, distingui potest. Aut enim loquimur de legitimatione Tertij comparentis ad sententiæ executionem aliquam retardandam, aut de alia incidenter in iudicio emergenti; vel tertio de ea, quæ principaliter in iudicio deducitur, & ventilatur. † Quoad
34 Tertium comparentẽ, quia is, vt post sententiam, ad eam impediẽdam audiri possit, summatim, quòd de eius iuribus doceat, & liquere faciat, necesse est, vt in d.l. à Diuo Pio, §. super rebus, & plenius prosequitur Felinus in d. cap. veniens, il secondo, & ibi per addentem post eum nu. 13. in verbo interesse, vbi & per Panormitanum, & Butrium; si testes inducantur, reprobari eos posse, voluit Zuccardus in d.l. vltima, C. de ædicto Diui Adriani tollendo num. 301. Menoch. in d.quæst. 32. num. 7. & sequitur Farinacc. in d. limitat.9.num.209. † Quicquid tamen sit,
35 quòd reprobatio præfata deneganda veniat, optimè habes per prædictos, & præsertim per Felinum, & addẽtem post eum loco proximè citato Capicium in allegata decis.55. num.4. & Vrsillum in addit. ad d. Afflicti decisionem 351. in principio, quemadmodum nec beneficia competere, etiam suo loco notauimus.

36 Successiuè quantum ad aliam in iudicio aliquo ordinario incidenter deductã, nõ est dubitatum, neque nos ambingimus abijciendas esse reprobationes, vt habes per Afflictum in d. decisione 351. num.3. & sequitur Farinacc. in sæpè citata limitat.9.num.199.

37 Tertiò verò, & postremò, vbi de personarũ hac legitimatione principaliter agitur; vt quum in iudicio summario ædicti Diui Adriani proceditur cũ legitimi contradictoris oppositione; tunc iure optimo; quia non aliud iudicium subsequeretur, neque expectaretur decretum, per quod illatum forsitan damnum reparari posset; concedendam fore repulsam, non dubitatur, iuxta notata, & allegata per Doctores in d.§. super rebus, & præsertim per Alexand. & Iasonem; Zuccardum in d. l. vltima num.302. Menoch. in d.quæstione

ſtione 32.nu.6. & ſequitur referendo Farinaccius loco citato num. 208.

38 Præterea rem vlterius deducendo, nedum reſpectu Actoris,vel Rei, vel Teſtis, iuxta dicta in præcedenti conſideratione, aut ſummarietatis cauſę,iuxta alia proximè enarrata, Repulſa negari poteſt; ſed etiam ſi criminales cauſæ ſint,& adeò arduæ,facinorum qualitatibus inſpectis; vt meritò non eò vſque Reorum defenſionibus indulgēdum putatum ſit,vt & reprobationes alioquin odioſas etiam concedendas venire, induci potuerit. † Cuiuſmodi contra principes ſunt perduellionis cauſæ, vel contra Rempublicam, cauſæ rurſus hæreſis, vel Blaſphemiæ in Deum, Deiparam Virginem,& eius Sā̄ctos, manifeſti vſurarij altera, & ſimiles, de quibus ſingulis, pro noſtri inſtituti ratione videndum.

39

40 Et primò in cauſa criminis læſæ maieſtatis humanæ teſtium reprobationi locū non dari,videtur dubitari non poſſe,quippè cum in ea aperto iure inhabiles teſtes admitti; dictum,& notatum ſit,vt in l.famoſi,& in l.in quæſtionibus,vbi Bartolus, ff. ad leg. Iuliam Maieſtatis,& in l. de minore, ff.de quæſtio. habes per plures allegatos per Maſcardū in eius concluſ.462. in principio, alios plures congeſtos per Farinacc. de oppoſition. contra perſonas teſtium quæſt. 62. limitat. 4. num. 83. & Nouiſſimos de cognitione delictor. in genere in titulo de crimine læſæ Maieſtatis, de priuilegiis dicti criminis num.22.

41 Intelligendo tamen dummodò ſuper ipſa facti ſubſtantia deponant,& ſic ſuper delicto immediatè, vt ibi per eos, & faciunt notata per Maſcardum de probatio. concluſ. 962. num.5. & Farinacc.de oppoſit. contra perſonas teſtium, oppoſitione 13.num.112. Quarè ſequitur indubitatum non admitti in eiuſmodi cauſis reprobationes, cum fruſtra inhabiles admitterentur,vbi poſtea reprobari valerent;& facit, quod alias vulgò dicitur, † quòd fruſtra admittitur, vel toleratur, quod factum non releuat,& de principali concluſione habes per Marātam in vulgato nu. 17. Bernardinum Roccam loco allegato, & Stiaticum in d.cap.17. num.44. Vndè nec citatio permittitur, nec appellatio, neque ad informandum Aduocatum dilatio aliqua,vt per Nouiſsimos loco citato num.20.21.& 32.

42

43 Non tamē omnes modo quouis inhabiles reprobationis immunes efficere oportet; Nam vbi inhabilitatis cauſa ipſa capitalis inimicitia eſſe perferatur,repulſam denegari non debere, apertiſsimè ſuggeritur; cum tanti ea in hominum pectoribus dominari, & graſſari detecta ſit, vt generaliter in omnibus cauſis quantumcunq. exceptis,repulsā exigat,vt per Gomeſium in 3,Tomo variar. reſolutio.allegato cap. 12. num. 21. & alios allegatos per Farinacc. de oppoſitio. contra perſonas teſtium quæſt.53. num.7.& latiſsimè habes in ſequenti conſideratione, vbi videndum.

44 Præterea,& in hæreſis cauſa inhabiles, vt ſupra admitti,non dubitatur,vt in cap. in fidei de hæreticis in ſexto,& in cap.accuſatus,§.licet eodem titulo,& habes per Clarum in eius praxis,§.fin.quæſt.24. & ibi plenè per addentem Baiardum in verſ. ſciendum eſt tamen, Maſcardum in concluſ.1359.num.15. innumeros allegatos per Farinacc. in allegata quæſt.62. limit. 4. num. 81. & 82. & Nouiſſimos de cognition. delictor. in cap. de crimine læſæ Maieſtatis, de priuilegiis eius criminis nu.34. & ſequentibus, vt meritò omnem repulsā ceſſare à maioritate rationis concludi poſsit, vt habes per Folleriū in vulgata clauſula concedatur Repulſa nu. 5. † Ad hoc tamen, vt inhabiles teſtes admittantur,plura concurrere debere,omittendum non eſt; & primò quòd inhabilitas extrinſeca ſit: Nam ſi ex inteſtinis inimicitiis,& odiis exoriatur, non ſecus, ac in præcedenti crimine exceptuato,in hoc ipſo, & aliis paribus repelli, & reprobari poterunt, vt per Bartolum in d.l. in quæſtionibus, & Nouiſsimos loco citato nu. 36. Secundò, quod ad facti ſubſtantiam comprobandam inducti ſint, † quia ad probandum factorū adminicula non probarentur atteſtantes, iuxta plures allegatos per Farinacc. de oppoſition. contra perſo-

45

46

personas testium quæstione 56. num. 72. Decium in consil. 410. nu. 15. & in præcedenti crimine dictum est, & facit in simili, quod de Laicis contra Clericos attestantibus infra consideratione sexta notatum est num. 47. Tertiò, vt plures duobus testes inducantur, vel si duo induci, & examinari contigerit, quòd alia simul adminicula adsint. † Nam alias vel ad inquirendum, aut ad torquẽdum, vel pæna ordinaria criminis omissa, pro iudicantium arbitrio, ad extraordinariam aliquã infligendam proderunt, vti optimè probatur in d. cap. in fidei, & amplius deducitur per Farinaccium loco citato nu. 89.

48 † Quartò, & postremò, quòd per viam inquisitionis procedatur, non item si accusatore aliquo promouente, iuxta Glosæ traditionem in d. cap. in fidei, quam licet communiter teneri, videri sibi Nouissimi dixerint loco allegato num. 42. in fine; contrarium tamen multos allegans Farinaccius in præcitata limit. 4. sentire deprehenditur num. 86.

49 Quòd si vlterius de blasphemiæ crimine scruteris, in blasphemãtium odium testium ad eiusmodi crimen comprobandũ inductorum cessare reprobationem communiter ferè Doctores enunciarũt, vt per Paridem in tractatu syndicatus, in verbo condemnatio, col. 4. in fine, Striaticum in d. cap. 17. num. 44. Bernardin. Roccam loco citato, Marantam, & Follerium in locis ordinariis, & plenè per Nouissimos de cognitione delictor. in cap. de crimine blasphemiæ; de priuilegijs eius criminis num. 26. † ex capitalium tamen inimicitiarum capite reprobatione semper excepta; quam in omnibus priuilegiatis criminibus non excludi, in præcedentibus passim notauimus; & quantum ad hoc ipsum crimen habes per Grammaticum in eius consilio 15. quem refert, & sequitur Follerius in loco ordinario num. 4. & in fragmentis in titulo de blasphemantibus, & alios relatos per Nouissimos loco citato, † vbi num. 27. quòd ita seruatur pragmaticis attentis, & plenè per Troisium ad Regni pragmaticam de blasphemantibus num. 9. & Grammatic. in constitution. blasphemantes num. 13.

52 At quòd non solum ex hoc inimicitiarum capite; sed ex alio quocunq. testes in hoc crimine, quemadmodum, & in non exceptis alijs reprobantur, valeant similiter reprobari, plures alij voluere, inter quos optimus Clarus, in §. blasphemia in vers. reperio etiam, & Alexander Romanus in repetita pragmatica Regni nu. 22. & sequentibus. † Quid dicendum? Romanus prædictus loco quoad rem præsentẽ, inter notoriam, & non notoriam blasphemiam distinguendum putauit; ita quòd in notoria; ex alijs capitibus, præter inimicitiarum illud allegatum, nullatenùs fit reprobatio concedenda; atque ita Paridis prænarratam traditionem intelligẽdam, ex casu per eum considerato affirmat. † In alia verò non notoria; quòd ex omni capite illa permittenda sit; quæ sententia mihi valdè probatur; vbi subicit, quòd ita seruatur, & sic etiam ego hic Capuæ semper seruari vidi; vide singularia multa in materia per Dom. de Anna in singul. 67. vbi quod nec gratiam à Principe obtinere possunt, nisi absolutione præuia.

55 Alij verò, vti Antonius Niger in cap. Regni incip. ab illo inchoandum, in additione num. 49. nedum ex capite inimicitiarum, sed etiam conspirationis dandam eam sensit; quod si perpendatur rectè, clarum est, vt plurimum, pro nostra miseria, ad offensionem eiusmodi crimen aduersus multos excitari, & sic semper cum conspiratione; vt meritò propterea reprobationis defensio in ea denegari non debeat; & tantò magis. † quòd in omnibus casibus, in quibus inhabiles testes admittuntur, nunquam duo sine aliis adminiculis sufficiunt, vt supra notatum est; & tamen constat per nostram pragmaticam duos tantum testes in hoc crimine sufficere. Quarè dictam repulsam dare, & passim decernere; inspectis his quæ assiduè subministrat experiẽtia; nil aliud est, quàm sanctissimè præfatam sanctionem interpretari; de qua re, vltra prædictos, & plenè habes per Boerium in eius decis. 301. incip. præsuppono num. 12. Quantum tamen ad Nigri sententiã, non omit-

to; quòd semper cum inimicitia conspiratio concurrit; cum nemo aduersus aliquem ad conspirandum, nisi ex intestinis odiis succensus perducatur.

57 In postrema verò manifesti vsurarii causa, an testium reprobatio admittenda sit, satis notare Cauensis deprahenditur in Ritu Curiæ 192. incip. Item quòd nullus admittatur num. 7. & in summa pro affirmatiua concludit, iuxta Panormitani traditionem in cap. quam sit perniciosum in fine de vsuris, ita, & taliter, quòd si illam negari cōtingat, ad appellationis remedium, iure decurri possit, & habes per Andream in Regni constitutione vsurariorum, & dixi supra Considerat. 1.

58 Illud tamen verum est, quòd ex singularitatis vitio, nulla reprobatio competere potest, cum in eiusmodi crimine, ex nostra pragmatica, satis ad talem animi peruersitatem comprobãdam admissi ipsi intelligãtur iuxta alia infra in secundæ partis considerat. vnica, Requisito secundo plenè notata, & maximè si solutarũ vsurarum repetitioni renũciatum sit, vbi qui vsuras soluerunt, deposuerint, vt in sequenti consideratione subiectum habes.

59 Sed vltra causas præfatas quæri hic potest; quid iuris videlicet dicendum sit in causa depræhensionis in delicto fraganti; Num inquam ita capto, & inquisito Repulsa concedenda sit? & in hoc recurrendum est ad tradita per Felinum in cap. pastoralis, §. quia verò de officio delegati; dum ibi voluit in fraganti crimine capto nullam defensionem competere, ergò neque repulsa; inter defensionũ

60 species cum ipsa relata sit; † Nam genere remoto quamlibet eius speciem auferri certissimum est, intantum, vt etiam sine processu is condemnari possit, nec aduersus condemnationẽ per eum admissa appellatio recipiatur, vt per Bald. in l. 1. C. ne ex delicto defuncti. Voluitq. ibidem Bartolus, quòd ei in os aliquid constringens aptari debet, nè loqui valeat, refert, & sequitur Grāmaticus in additione sua ad cap. Regni incip. in accusatis num. 2.

61 & 3. † & maximè hoc in furibus hac tempestate seruatur, de facto etenim ex vigilantissimi nostri Excellentissimi Proregis, Comitis Beneuenti ordinatione; dum sic depræhenduntur, Regiis triremibus addicuntur.

62 Vltimo loco, pro coronide, illa à nobis quæstio dirimenda se offert, non sanè parum inuoluta, an videlicet in secunda instantia, quæ appellationis causam prosequitur reprobationibus locus præscribendus sit? Et pro eius planiori dissolutione, duo hic capita expendere, duximus operepretium; Nam aut quærimus num testes in termino ad non posita ponendum, & non probata probãdum examinati reprobari possint, † & in hoc liceat concludere, reprobari eos posse; nisi aliqua productione alias fuerint approbati, intelligendo rursus omnimodò, hoc est tàm quoad dicta, quàm quoad personas, vt per Marantam in loco sæpè citato nu. 13.

63 Aut verò quærimus, an in causa prædicta possit fieri reprobatio testium contra examinatorum in prima instantia, & sic in principali causa; & in hoc tota residet difficultas propter nimium pugnãtes rerum iudicatarum, & scribentium auctoritates.

64 † Nam primò negatiuam sententiam multi magni nominis Doctores secuti sunt, vti Io. Andreas in Regni constitutione Iurisperitorum, Afflictus in decis. 266. Guidò Papa in quæst. Gratiõ politana 500. incip. Actor dedit, Maranta in Speculi loco citato num. 12. & Dominus de Anna in singul. 442. incip. Repulsa non datur, vbi quòd secundum iam dictam negatiuam S. Regium Concilium suo tempore iudicauerit, memorat, & habes per Troisium in vulgari pragmatica cursu dilationum num. 17.

65 Cõtrariam verò, & affirmatiuam idem Afflictus comprobare depræhensus est in d. constitut. Iurisperitorum col. 5. atque etiam secundum eam, idem S. Regium Concilium iudicasse, ibidem D. de Anna refert in causa Troianelli Miraballi cum Ioanna Miraballa. Quid dicendum? † Si

66 negatiuam primò relatam tibi profuturam attendas, illam tenendo, tanquam cõmunem, vti Suarez testatur in Thesauro receptarum sententia: in verbo testes nu.

177.

177. poteris considerare, parum obstare in contrarium allegatam S.Regij Concilij decisionem; Nam eam ex causa prodijsse elicere est, & sic quia illa Ioanna Miraballa erat pauper, & in prima instantia, eius inopia suggerente alioquin necessariam sibi testium reprobationem extruere non potuit.

Quòd si hoc tibi fortassè non probatur, considerando, quòd in odiosis, cuiusmodi repulsa circumfertur, restitutioni locus non detur, vt latè suo loco in praecedenti, & prima consideratione notauimus, 67 † & propter hoc affirmatiuam amplecti velis, dicere poteris S.Regium Concilium in ea decisione, ita decidendo cōmunem omnium Curiarum stylum, & consuetudinem attendere voluisse, quae in secunda instantia omissam in prima reprobationem permittunt, prout testatur Guidō Papa in d.quaestione 500. approbatq. Menochius de arbitrarijs iudicum, casu 139. num. 16. & Rebuffus de reprobat. testium in Glosa vnica num. 34.

68 Ego verò pro exactiori dilucidatione propositae quaestionis, ita ex Doctorum dictis distinguendo, rem explicari posse credo; & sic quòd aut quis in prima instantia nullam repulsam petijt, aut verò illam expostulauit. Primo casu aut loquimur de reprobatione personarum, & tunc rursus dicendum; quòd aut obijcienda crimina primae instantiae tempore nota erant nunc reprobare ex eis intendenti, & tunc à repulsa abstinendum fore, eius odium suggerit; Aut verò penitus incognita, sed de nouo in hac secunda instantia ad eius notitiam perducta sunt, 69 † & tunc in peremptoriae exceptionis modum proprio petentis accedente iuramento, benè admitti poterunt, vt per Butrium in cap.1. de exception. in secundo notabili per textum, & ibi notata per Doctores in vulgato cap. praesentium, refert, & sequitur Stiaticus in d.cap.17. num.50. & habes per eundem Butrium, & Panormitanum in cap. inter monasterium de re iudicata. 70 † Secundò verò casu dictorum reprobationem competere, non dubitatur, vbi in testium dictis falsitatem deprachendere quis voluerit, vt in d. cap. 1. & in l. vltima, in fine, C. de fide instrument. & in cap.1. de procurato. & habes per Ioannem Andream in d. constitutione Regni Iurisperitorum, in fine.

Consequenter quoad secundum membrum primae distinctionis principalis, vbi petitam illam diximus, rursus distinguendum est, quòd aut petita Repulsa fuit concessa, & in ea fuerunt articuli praesentati, sed in deductorum obiectuū comprobatione cessatum; & tunc licet de iure non possit quis ad illam admitti, iuxta rationes, & iura ponderata per Guidonem Papam loco citato; tamen de consuetudine admitti illam retulit Rebuffus artic. 33. des publiees num. 34. 71 † Intelligendo tamen quoad dicta, non autem, quoad personas, vt voluit Afflictus in dicta decisio. 266. per Glosam in allegato cap. 1. de exception. Aut verò fuit petita, sed non concessa; 72 † & tunc si in secunda petatur, eaq. petenti ad causam expediat, plenè erit concedenda; cum defensionis facultatem cuiq. denegare nefas sit, vt per Afflictum in loco proximè citato num. 2. in fine, & num.5. & Troisium in d. pragmatica cursu dilationum. Quarè concludendo, in praecedentibus casibus omissa repulsa partis incuria, in parte tātum in secunda instantia reparari potest, vtputa, quoad dicta; nisi nouiter testium alias in prima examinatorum defectus in notitiā venerint, vt supra, iuxta tradita per Capicium in vulgata decis.35. 73 † Iudicantis verò facto praetermissa illa, in totum concedenda esset, & sic quoad vtrumq. quo casu, vt in praecedentibus notauimus, etiam post sententiam, re integra, concedi posset, vt per Butrium in d. cap.1. & Stiaticū in loco proximè allegato; & haec quoad notatas causas summatim sufficiant, vt tandem ad id, quod postremo loco attingendum proposuimus, ambagibus praetermissis, transeamus.

74 Illud inquam de reprobationum effectibus est, cum multi efferantur, & vt aliquo modo, vt moris est, à nobis distinguantur, & explanentur, alios considerabimus contra ipsos repulsas petētes, alios

cōtra eos, aduersus quos repulsæ extruuntur, alios verò contra testes, in quos criminum obiectus fiunt, & dilucidantur.

75 Quantum ad primum caput quæri hic potest, nunquid si aliquis de aliquo crimine fuerit leuiter initiatus, seu notatus, vel simpliciter diffamatus, & quoad leuia indicia dubitans, quia illa iudicibus arbitraria sunt, nè sibi malum aliquod in futurum eueniat, vel etiam talis famæ testatio obici sibi interdum possit, indiciorum testes reprobare intendens, vel de fama attestantes alios, repulsam ipsam petat; num hoc casu præfatas causas dicturus erit in carcerem coniijciendus?

Et videtur quidem ex eius petitione meritò ad carcerationem deueniri posse, maximè vbi eius qualitatis deductum crimen effertur, quod extra carceres defensiones non admittit; ex hoc enim satis se ipsum accusare, seq. culpabilem ostendere creditur, qui sic vltrò ad excusationē pergit, & vt vulgò dicitur, excusatio non petita accusatio est manifesta.

76 Quicquid tamen sit, in præmissis casibus, repulsæ petitionem iam dictum carcerationis effectum non admittere, rationabiliter probatum est; considerando, quòd carcer non datur, nisi ad continendos eos, quos punitionis alicuius debita præssura, vbi de eorum non constet, innocentia, correptura fit l. facta, §. aut damnum, in verbo carcer, ff. de pœnis, sed is ita leuiter diffamatus nulla pœna affici potest, cum plenè de delicto non constet, vel aliter, vt ad torturam valeat perduci, aut ex eo fortasse confitente occulta alioquin facti veritas excerpi; ergò meritò carceribus mancipari non potest, l. quis in ea culpa, C. de custodia reorum, l. si confessus, ff. eodem, & in l. si hominem, ff. depositi, & habes plenè per Sebastianum de Neapoli in cap. Regni ab illo inchoandum à num. 36. vsque ad 41. † ampliando, vt ibi per eundem; quòd videlicet carcerari non debet, etiam si reus sui credula facilitate se carceratione dignum crediderit, vel etiam Aduocati inscitia, vt quia plenè, vel semiplenè de delicto contra se constare ratus sit. † Nam Aduocati inscitia, aut Rei met exorbitans credulitas non potest inefficaces probationes plenas, efficaces, & concludentes reddere, sicut è contra, nec plenas diminuere, & debilitare, sed iudicans ipse hoc casu, cui cuncta ad veritatis inquisitionem rimari datum sæpè diximus, vt in cap. iudicantem 3. quæst. 5. partium, & Aduocatorum defectum supplere poterit, prout debet, vt in l. 1. & toto titulo, C. vt quæ desunt Aduocatis, iudices suppleant; atque ita se in facti contingentia obtinuisse eò loci protestatus est, & facit quod alias in secundæ partis huius operis consideratione vnica latius perstrinximus, † videlicet, quòd si stante realiter plena probatione per procuratoris, aut partis ignorantiam suppletorium iuramentum petitum sit, non per hoc plenæ existenti probationi derogatū censeri oportet; de quo dic, vt ibi. Tandem concludendo, nemo carceribus mancipandus est, nisi in casibus à lege definitis, sed in casu petitionis repulsæ, quòd quis carcerandus veniat, nullibi reperitur lege cautum; ergò ab ea, vti omnimodò odiosa, cum pessimam contineat, præbeatq. mansionem, † nè postmodum contra officialem carcerantem iniusti carceris iniuria in syndicatu, non sine molestia, refricetur, iuxta tradita per Paridem de Puteo in tract. syndicatus, in verbo carcer cap. 2. num. 7.

77

78

79

80

81 Quoad secundum attinet, reprobatorum testium in producentis beneficium non satis fides attenditur, cum ex reprobationis modo, vel penitus submoueātur, nè ad examen perueniant, vel examinatis, aut in totum, vel pro parte ad minus derogetur, iuxta in præcedentibus dicta; & quæ latè in subsequenti consideratione subijcientur.

Quantum tamen ad instituti rationem pertinet, reprobatorum quousq. fides perducenda sit, explicatè videamus, & primò illa pro indubitata, formanda conclusio est, † Testes repulsatos ad condemnationem non sufficere, idq. ex communi omnium sententia; Intelligendo tamen, si omnes reprobati sint; Nam si cum reprobatis † alij fide digni producti sint; tunc

82

83

ratio-

tatione adiuncti probatæ fidei, ad plenam ipsi probationem verisimilia deponentes sufficient; vt per Baldum in l. præcipimus, C. de appellatio. eundem in consil. 137. vol. 3. Innocent. & Felinum in cap. 1. de rescriptis, & alios plures allegatos per Saraiham in additio. ad singula. Matthesilani 243. num. 2.

84 Quintum autem ad testem reprobatū, quanti videlicet is faciendus sit, ex eo argui potest, quòd ex iuris dispositione habetur, ac si productus, & examinatus non fuerit, vt per Afflictum in cap. vnico, §. præterea si vassallus in Glosa 3. in titulo quæ sit prima causa beneficij amittendi num. 8. & in cap. siuè Clericus num. 13. in titulo qui testes sint necessarij ad probandam inuestituram; & Parisium in consilio 107. num. 59. vol. 1. & consil. 58. nu. 55. vol. 4.

85 Successiuè quæri potest; postquam ad condemnationem eos non sufficere positum est, num saltem in criminalibus ad torturam satis esse, intelligi potorunt; vel in ciuilibus causis ad suppletorii petitionem sufficientem, & validam semiplenam.

86 Quoad primum, Glosa in l. vltima, C. de his, quibus, vt indignis ad torturā eos sufficere arbitrata est, eā sequitur in hoc Grammaticus in voto 25. & in consil. 70. num. 20. & alij plures allegati per Follerium in eius praxi criminali in clausola, & si confitebuntur, num. 59. quòd, si modò tortura eorum probarentur attestationes, Paulus Marenda probauit in consil. 31. num. 62.

87 Tu verò in hac ipsa re ita breuiter distinguere poteris, quòd aut facta repulsa respicit ipsorum testium personas, aut verò eorundem dicta, seu testificata. Primò

88 casu, ex ipsis in personam obiectibus, vt quia pauperes, familiares, affines, & similes testes probati fuerint; non omnimodò per eos factas probationes subuertendum est, sed eas ad torturā prodesse posse, iuxta supra allegatos. Secundo verò

89 casu, † vbi corrupti testes, & falsa deponentes probati fuerint, clarum est pro nihilo eorum habendas esse attestationes, ac si, vt supra dictum est, ipsi producti, & examinati non fuissent, vt per Andream in constitutione vsurariorum, & prosequitur Follerius loco citato, & alios allegans Troisius in vulgata pragmatica cursu dilationum num. 12. & Marenda in consil. 15. consil. 17. & consil. 26. Idem in alio 31. & altero 36. habes, & per Campegium in tract. de testibus Regula 47. vers. fallit primò.

90 Primum tamen propositæ distinctionis membrum restringendum est, vt non procedat in solo capitalium inimicitiarum obiectu. Is enim tanti semper momenti creditus est, ac in omni sanè causa quantumuis priuilegiata, vt probatus semper imminentem torturam tollat, iuxta plura allegata, & conclusa in sequenti consideratione ferè in principio, vbi videndum.

91 Quantum autem ad secundum, clara est conclusio, eos præsumptionem tantum extruere, quæ minor, quā semiplena probatio sit, creditur, vt per Grammat. in decis. 11. num. 10. Clarum in §. finali, quæst. 20. in principio. Ergò successiuè neque ad suppletorium iuramentum satis esse poterunt; cum de necessitate semiplena probatio, vltra alia plura requisita, ad illius delationem exigatur, iuxta notata per Doctores in vulgata l. admonendi, ff. de iure iurando, Rolandum à Valle in consi. 56. incipiente in hoc articulo à num. 20. infra vol. 2. & aliquid per Menoch. de arbitrarijs iudicum casu 199. num. 7. in fine, & plenissimè dixi infra in secundæ partis consideratione vnica per totum, vbi videndum.

Quia tamen quoad personalem reprobationem vnum notabile diximus de capitalis inimicitiæ obiectu, meritò quoad attestationum alteram, & aliud duximus subijciendum; † quòd videlicet si

92 testis dictum, ab eo per corruptionē prolatum fuisse probatum fuerit, illud adeò nullum existimatur, vt nec ipsarum met partium consensu, de quarum agitur præiudicio, conualidari possit, vt in l. 1. post principium, ff. de falsis, & habes per Marianum Socin. in vulgato cap. fraternitatis de testibus num. 85. & faciunt notata in cap. super eo, eodem titulo.

Ad

93 Ad rem tamen redeundo, notandum est, quòd nedum pro ipso producente testes repulsati non probant, prout expositum est respectiuè, sed neque etiã, & multò minus pro ipso reprobante, vbi aliquid in eius vtilitaté deposuisse eos appareat, de quo dic, vt latius in prima consideratione, plures casus distinguendo exposuimus.

Antè tamen, quàm ad particulares casus descendamus, in quibus reprobati testes non attenduntur, duo alia hic prænotanda, & aduertenda duximus, & primum quidem est, quid pars ipsa, reprobatione peracta, vbi se absolui debere prætendit, curare debeat. Secundum, quamuis incidenter hic; ex quibus videlicet eos reprobari debere, & reprobatos declarari, iure efflagitare intelligatur.

94 Quantum ad primum, quoad effectum obtinendæ absolutionis, quòd pars reprobans debeat maximè instare coram iudice causæ, vt eos repulsatos declaret; & quòd iudex ad id instante parte, eos repulsatos enunciare teneatur; vel saltem in finem causæ eam declarationem reseruare, voluit Troisius loco citato n. 11. & per antea Baldus in l. 1. in vers. quid ergò, C. de ordine iudicior. & in l. terminato, C. de fructibus, & litium expensis. Et licet Nouissimi dicant nullibi hoc seruari reperisse, quod, & verum est, habes tamen lucidissimè hoc fieri posse, vti refert in sexta parte, in Glosa momentum nu. 17.

95 Quoad secundum, vt reprobatio ipsa personalis præfatos pariat effectus, vel alios infra subijciendos, debet quidẽ formiter fieri, ac per hoc considerandum est,

96 † quatuor modis de Testium obiectibus liquere posse, seu mauis debere, primò quidem per conuictionem; vt quia testis de obiecto sibi crimine fuerit alias per testes conuictus, nam ex ea conuictione semper repelli potest, iuxta communẽ, vt habes per Clarum in §. finali, quæst. 24. sub num. 16. Secundò per eiusdem confessionem, qua nulla maior probatio dicitur, l. cum precum, C. de liberali causa. Tertiò, si aduersus eum tale factum deducatur, ex quo apud bonos viros eius opinionem grauari contingat. Quartò, & vltimò, per præsentem probationem de crimine opposito, factam ab ipso reprobare volente per testes, vt per Zabarellam in cap. cum clamor, & in cap. testimonium num. 4. de testibus.

97 Differentiam tamen in hoc circumferri inter ius ciuile, & pontificium, non insulsè subijciendum est; nam ciuili iure, quòd testis alias fuerit de crimine notatus requiri videtur, & sic, quòd vel conuictus, vel confessus, aut condemnatus de eo fuerit, quarè de nouo illum criminosum probare, non sufficeret. De iure verò canonum secus, sufficit enim ad testis reprobationem, etiam si de nouo crimen per testes aduersus eum ostendatur, prout plenè habes per Butrium, & alios in cap. 1. de exceptio. num. 9. & aliquid per D. de Anna in cap. 1. de Vassallo decrepitæ ætatis num. 144. & de primo per Felin. in consil. 36. num. 8.

98 Hinc deduci, & illud potest, quòd testis reprobatus in vna causa non semper poterit ex eadẽ reprobatione in alia semper reprobari; sed ex prædictis distingui in hunc modum debet; quòd aut testis de eo crimine, ob quod reprobatus extitit, fuit per sententiam condemnatus, aut simpliciter, tanquam criminosus repulsus fuit, nè fidem faceret. † Primo casu, quia 99 sententia dicitur contra Testis personam lata, ac si ita crimen deductum ferat, infamiam subiisse creditur, succedit, quod infra in secunda Consideratione notauimus, quòd cum semper sua infamia comitatur, sicut lepra leprosum, & sic in omni casu repelli poterit, vt puta falsarius ostensus, & condemnatus semper repellitur, etiam si cõtra alium falsarium productus, & examinatus fuerit, iuxta notata per Innocent. in cap. 1. de confessis, refert, & sequitur Grammat. in consil. 35. num. 31. Marenda hos allegans in consil. 20. num. 20. & Niger in cap. Regni incip. frequens de testim. public. disrobato num. 84. Nisi tamen, vt ibi subijcitur, quis commisisset crimen falsæ monetæ, vel Regij sigilli falsificationem, nam tunc eius dictum teneret, vide illum.

Se-

100 Secundo verò casu secus, cum tunc reprobationis sententia non contra productum, & examinatum testem, sed contra producentem illum dirigatur, iuxta notata in allegato cap. 1. de exception. quo casu testis ex deducto crimine, alios sui natura infamante, infamis non efficitur, vndè repelli non potest, iuxta conclusa per Paulum Castrensem in l. si veteris nu. 10. C. de fide instrument. per textum, in l. lucius, vbi Bartolus, ff. de his; qui notantur infamia, habes per Panormitan. in cap. 2. de ordine cognition. & in d. cap. testimonium, Rotam in decis. 1. sub num. 2. de accusatio. in nouis, & in decis. 1. de libelli oblatione similiter in nouis, & alios relatos per Crottum de testibus parte 8. num. 41.

101 Credo tamen, quòd si testis, ex legitima causa, de facto in eius opinione grauatus sit; quòd tunc etiam in alia causa repelli poterit, prout per textum in d. cap. testimonium, voluit Marenda in d. consil. 20. num. 21. & de periuro quòd in alia causa repellatur, habes per Panormitanũ in cap ex parte de testibus, & Zabarellam loco citato: & vt ego sentio; ad repellendum repulsum testem in alia causa, maximè proficere iudicis illam declarationẽ, qua repulsatus enunciatur, existimandum est; cum negari non possit eam opinionis grauationem præseferre, ipsumq. testem afficere, intelligendo. vt supra proximè dictum est.

Libeat tamẽ hic relassandi animi gratia, quid de testium reprobatione Diuinus illæ Legislator Plato senserit. Is enim de legibus dialogo 11. ita inquit. *Si quis falsò testimonium bis dixisse inueniatur, à nulla lege tertiò testari cogatur, si verò ter, nullo modo postea testimonium ipsi dicere liceat; quòd si ter in falsitate deprahensus, testari vlterius ausus fuerit, à volente quolibet ad Magistratum deferatur, & à Magistratu tradatur iuditio, & si conuictus fuerit, moriatur.*

102 At vt in specie nunc aliqua referamus; illud certum est per reprobatos testes non iure crimen vsurarum probari posse, secundum Andream in allegata supra Regni constitution. prosequentes, & habes per Cauensem in allegato Ritu 192. num. 7. & Marendam in consil. 51. num. 4. & maximè, vbi sine protestatione renunciationem proprijs commodis continente testes deposuissent, de qua per eum ibidem nu. 15. & Ratio quidem ea fermè est, vltra prædicta, † quia eo in crimine, quoad testes, bonæ opinionis dignitas exigitur; quæ cum realiter inesse debeat, ac propterea probari, vt & qualitates omnes à statutis requisitę probãdæ sunt, iuxta plenè allegata per Io. Petrum Ancharanum familiã. quæstio. lib. 2. quæst. 55. Marianum Socin. in consil. 22. num. 11. vol. 1. & alios copiosè allegatos infra in secundæ partis Consideratio. vnica, Requisito secundo, sub num. 97. propterea verum est dicere, repulsatos testes, tanquam bona illa requisita opinione destitutos nullam aduersus notatos eo in crimine fidem facere. 103

104 Successiuè, quia multoties contra non probantes in obtentis dilationibus, tanquam calumniosos, solet certa pæna statui; imò statuta reperitur; prout in beneficijs latè diximus in nostro tract. Considerat. 5. num qui eiusmodi reprobatos testes attulisse comperiũtur, pænæ præfatæ subiacere debeant, quæri vlterius potest. Qua in quæstione Hippolitus de Marsilijs in eius singul. 444. incip. statutum est, & Speculatoris sententia in titulo de calumniator. propè finem; non obstante, † quòd in dubio appellatione probationis de legitima intelligatur, iuxta notata per eundem Hippolitum in l. de vnoquoq. in primis columnis, ff. de re iudicata, & dixi infra in secundæ partis Considerat. vnica Requis. 3. voluit illum excusari posse, nulloq. pacto in pænã incidere; ex quo quantum in se fuit, eos testes producendo, fecisse intelligatur, & quòd quoad eum valet regula quòd vnusquisq. bonus censendus sit, donec malus non probetur, sequitur Baldus in auth. generaliter, C. de Episcopis, & Clericis, & in l. 1. C. de aduocat. diuersor. iudicum, & Lucas de Penna in cap. Regni Accusatorum temeritas num. 10. atque ita dicas, & prosequere, vt di- 105

vt dixi in tract. de primo, & secundo beneficio allegata Considerat. quinta, & quæ supra dixi in Consideratio. secunda circa finem, † quòd testes repulsati excusabant producentem à pœna talionis, vbi quoad personas reprobati fuissent; secus verò, si quoad dicta.

106

Præterea quanti sit reprobationis facultas ex eo colligi potest; quòd secundum cap. Regni incip. in generalibus, in tit. de inquisition. faciendis; si in generali inquisitione notatus contra ipsum reperta reprobasset, statim publicatione, sub fideiussoribus liberabatur; atque ita liberatus ad sententiam vsque absolutoriam permanebat, † nisi tamen reprobatoriæ eius probationes fuissent ab Aduersario similiter reprobatæ; Nam reprobatione contraria peracta, is iterum carcerabatur; quòd ipsum an hodiè procedat, vide plenè per Nigrum in d. cap. in generalibus in vltima addit. & in cap. ab illo inchoandum sub num. 59. in vers. & ad illam quæstionem positam.

107 108

Item, & in causa interdicti vti possidetis, nō parum prodesse repulsa detecta est, nam pro vtraque parte pari existente probatione, cum inter cætera, in eis dijudicandis, testium dignitas perpendatur, sine dubio, qui reprobati aliquo modo existunt, esse intelligentur, & idcircò, ad obtinendum in eo interdicto, supposita in numero testium paritate; ad contrariorum testium reprobationem insurgere, pro cautela considerauit Maranta in tract. de remedijs possess. sub num. 204.

109

Vltimò hic quæri potest, num si esse[?] ratur per reprobatos testes sententiam fuisse latam, possit ea, ex hoc nulla declarari? Exemplum eiusmodi effingi potest, reprobantur testes rustici per Regni constitutionem incip. prosequentes, ne videlicet valeant ad perhibendum veritatis testimonium in causa feudali vnius Castri, & in criminali iudicio contra Comites, & Barones, & in causa ciuili omnium, vel maioris partis bonorum, lita & taliter, quòd si producantur, & non in numero; prout ibi, habentur, ac si producti non sint. Num si ex eorum depositione, in iam dictis causis sententia proferatur, ea nulla dicatur? Quæstio præfata satis per Afflictum terminata legitur in cap. Federicus in §. si quis hominem in secundo notabili sub num. 22. ex doctrina Ioan. Andreæ in Nouella in cap. quóniam contra de probat. quòd videlicet ea nulla pronunciari possit, † intelligendo tamen si in eos fuerit per partem opportuna protestatio emissa; nam ea non facta secus dicendum esset, † cum parte non opponente multa admittantur, quæ alias non transirent, vt in relocatione per testes probata, iuxta notata per D. de Franchis in decis. 278. & quæ dixi infra in secundæ partis Considerat. vnica, Requisito 10. & infra Considerat sexta, & faciunt alij allegati per Afflictum in decis. 47. num. 5. Atque hæc pro huius tertiæ Considerationis complemento, ad Dei laudem, & Deiparæ semper Virginis, Beati Francisci, & Patronorum aliorum dicta sufficiāt.

110 111 112

CONSIDERATIONIS QVARTAE

RERVM SVMMAE.

1 *Tribus sub considerationibus omnis repulsa construitur.*

2 *Repulsa, quæ à parte fit, adhuc ex triplici alia ratione petitur.*

3 *Formatæ habitudines quam reprobationem pariant.*

4 *De obiectibus in personā hic agitur.*

5 *Quis obiectus ex habitudine ad eum contra*

DE REPVLSA ET REPVLSA REPVLSAE PRIMAE PARTIS.

CONSIDERATIO QVARTA.

REPVLSA QVIBVS EX LOCIS, AVT SEDIBVS PRINCIpaliter ab agentibus ad eam partibus legitimè deducatur, ac concludatur, non obscura serie studioso suggeritur.

PRO subiectorum nostræ cōsiderationis vlteriori dilucidatione, quò planius, quàm à cæteris, qui illa præstare nixi sunt, nauare eis nostram operam deprehendamur, † tribus sub potissimis considerationibus eorum exponendam rationem duximus operæpretium. Vel enim principalior partis alterutræ industria superinducta contra testes reprobatio exercetur, quò cum ipsius Aduersarij iurium debilitatione, sua quisq. iura stabiliat: Aut secundò ex Aduersarij met testibus deducitur, cum aliqua tamen in factorum speciebus, & eorum circunstantijs, partis studiosa propositione, vel deniq. omni litigantium circumscripta industria ab ipsomet iudicante, pro eius muneris functione, in cognoscendo, absoluitur; vbi videlicet ex facto pro constanti posito, ad ius sedulus decurrit.

At primùm quidem de ea, quæ à partibus per obiectuum propositionem, & probationem principaliter struitur, hic agendum putauimus; nam de reliquis sub consequentibus duabus considerationibus, summatim quamuis disseremus.

Vt verò vlterius in propositis ordinatè magis, vt de more est, procedamus; illud hic repetendum breuiter est; quod explicatè nimium in superioribus deduximus; Testes videlicet vel reprobari ex habitudine ad eum, contra quem producuntur, aut ex altera ad ipsum producentem, vel ex tertia ad legem, seu statutum; quibus, cum cuiusq. passim definiri actiones constet, testium tàm personæ, quàm dicta facilè reprobantur.

Quia tamen ex prioribus ad producentem, & ad Aduersarium habitudinibus personas tantum reprobari contingit; ex tertia verò personas, si de earum obiectibus ex actis appareat, dicta item, vbi in ipsis met attestationibus inuerisimilitudo, varietas, cōtrarietas, falsitas; vel aliud quidpiam, quod his proximè accedat, detegitur: Considerato, quòd in reprobationibus extruendis prius occurrit examinandi, seu examinati testis persona, ac deinde publicatione facta, & data facultate ad discutiendum examina, eius dictū. † Ea propter de his primùm, quæ in testium personas obijci iure possunt, differendum putamus; postea verò in eorundem dicta iuridicas lanceas, & sagittas, ab alijs iustis quamuis, voluminibus excussas, laconicè, pro nostro instituto, postrema in consideratione adducemus.

Pro initio ergò ad primam habitudinē decurrendo, secundum quam ad eum, contra quem producitur, testis ipse refertur; principem locum, & si solus, capitalium inimicitiarum obiectus sibi vendicat; quo ipso, vbi quis notatus est, & si relatus ad producentem, vel ad se ipsum, & consequenter ad legem, & statutum, nullam patiatur cōsiderabilem exceptionem, ac per omnia maior existimetur, con-

allegatos per Carrerium in praxi criminalium causarum in §. quartum indicium à num. 11. vsque ad 15. prosequitur recolendæ vbiq. memoriæ Syluester Aldobrandinus institut. de excusation. tuto. §. item si propter inimicitias num. 12. Vrsillus in addit. ad Afflicti decis. 289. nu. 2., Glosa in l. licet, ff. de arbitris. Isernia in cap. quo tempore miles in vsibus feudorum, & in cap. de statu, & consuetudine, Campegius in tract. de testib. Regula 24. & 25. Mascardus de probatio. in conclus. 899. num. 6. & sequentibus, Albericus de Maletis in tract. de testibus num. 10. & sequentibus, Blancus de indicijs à num. 122. per plures alios, Felinus in cap. repellantur de accusat. & in cap. afferte de præsumption. habes, & per Gomesium loco supra citato circa medium, Menoch. de arbitrarijs iudicum casu 110. num. 4. & 7. Specin. Iunior. in consil. 73. num. 4. vol. 2. Baiard. in addit. ad Clarum in quæst. 21. num. 119. Menoch. in casu 239. num. 11. Panormit. in cap. accedens il secondo, vt lite non contestata num. 3. & latissimè prosequitur Farinacc. de indicijs in quæst. 49. per totam, Bombinum in consil. 69. num. 31. & Bald. in cap. veniens de iureiurando.

13 In dubio tamen an deducta inimicitia capitalis dijudicanda sit, iudicis cognitioni demandatum est, vt per Glosam, & Doctores in cap. cum oporteat de accusatio. Alexand. in consil. 99. num. 5. vol. 1. Campeg. in d. Regula 23. in vers. quartò fallit. Bouerium in singularibus suis in verbo Testis num. 51. Lanfrancum in tract. de testibus num. 50. Menochium loco citato num. 3. Mascard. in conclus. 1050. num. 3. & Farinacc. loco similiter allegato num. 86.

14 His ita iactis diximus leues derogare tantum testium integritati, quod, & verũ est, cum semiplenã, qui illis irretitus est, non faciat, vt per Bartol. in l. 1. ff. de his, quibus, vt indignis num. 5. Panormitan. Felinum, & cæteros in d. cap. cum oporteat. Baldum in l. athletæ in §. dat remissionem, ff. de excusatio. tuto. per text. in d. l. licet, ff. de arbitris, Marantam in consil. 15. num. 4. Campegium in d. Regula 23. vers. 1. fallit. Crauettam in consil. 6. num. 32. & Mascard. in allegata conclus. 1050. num. 31.

15 Quantum verò, illis suppositis, testibus de fide detrahendum veniat, iudicantis pariter arbitrio adscriptum legitur; vt per Panormit. in cap. tertiæ dubitationis nu. 11. de accusat. & de antedictis etiam per Mascard. in conclus. 463. num. 34.

16 Illud tamen prædictis duximus annectendum; quòd si cum leuibus inimicitijs aliæ etiam notæ contra testem adducerentur, posset in vniuersum eius dictum subuerti, pro quo adeas Menoch. de arbitrarijs iudic. casu 199. num. 7. Campegium in Reg. 22. & Mascard. in conclus. 1319. num. 13. & conclus. 1317. nu. 42. quod æquè in alijs obtinet, vt infra. Capitales rursus testium depositiones penitus perdere, vltra præallegatos habes per Panormit. in d. cap. cum oporteat, Iasonem in l. hæreditas num. 4. ff. de his, quibus, vt indignis, Butrium in cap. per tuas de simonia num. 2. Bartol. in auth. de testibus in §. si quis verò in principio, & Glosam in d. cap. accedens, in verbo nimis fauens.

17 Declaratur supra dicta cõclusio, quòd adeò testes ex capitalibus inimicitijs cõuelluntur, vt nec in criminalibus causis, etiam si de visu deposuerint, indicium, vel in ciuilibus semiplenam extruere intelligantur, vt voluit Bartol. in l. maritus in principio, ff. de quæst. Ioannes de platea in l. [illegible] propter, C. si propter inimicitias [illegible] facta sit, lib. 10. Al[illegible] in co[illegible] vol. 3. sequitur Ca[illegible] loco citato, num. item 3. Antonius Niger in cap. Regni incipi: si cum sceleratis num. 47. idem in vulgato cap. vulgaris num. 29. & 37. in fine, & 38. vbi latè, Hippol. in consil. 2. num. 43. Paulus Marenda in consil. 15. num. 10. Grammat. in decis. 85. num. 7. & decis. 34. nu. 26. Mascard. in d. conclus. 1050. num. 12. & 13. Rolandus consil. 95. num. 29. vol. 4. & latissimè per Farinacc. de opposit. contra personas testium quæst. 53. num. 12. etiam quòd in tortura deposuissent, iuxta allegata per

Baiard.

Baiard, in dicta addit. ad Clarum, quæst. 24. num. 18.

18 Declaratur etiam neque ad inquirendum eos sufficere, vt per Farinacc. loco supra citato num. 13. & 14. nisi tamen ipsi bonæ vitæ, & famæ sint, ac cum alijs adminiculis cōcurrant, vt habes per Baiard. in d. quæst. 24. num. item 24.

19 Declaratur vlterius tanti earundem valere exceptionem, vt potens spectata fuerit ad torturam impediendam, quæ ex perlata Magnæ Curiæ præeminentia inferretur, vt per Nigrum in d. cap. Regni, si cum sceleratis nu. 45. & plenè per Grammat. in allegata decis. 34. num. 10. dummodò tamen in promptu per promptuariam testium nominationem de eis doceatur, vt ibi per eum.

20 Vltimò declaratur, & ampliatur, vt earum exceptio etiam ad examen impediendum proficiat, vt per Grammat. in decis. 86. num. 2. Castrensem in d. auth. si testis productus num. 2. 6. & 7. & in allegato §. si quis vero in d. auth. de testibus, per Glossam in d. cap. cum oporteat, in verbo inimicos, in l. testium, ff. præcitato tit. Crottum in tract. de testibus 3. parte nu. 162. late per Ebolitan. in Ritu Curiæ 282. Iosephum Lodouic. in decis. Perusina 73. & Roland. in d. consil. 95. num. 26. & Alex. de Neuo in consil. 5. sub num. 3.

21 Quæ cōclusio ampliatur etiam, vt procedat si examen fiat à iudice habente liberum arbitrium in procedendo, vt per eundem Nigrum ibidem num. 46. & antea per Bartol. in l. si filius familias, ff. de donation. sequitur Crottus in d. 3. parte nu. 106. & Menoch. de arbitrarijs quæst. 28. & casu præallegato 110. in principio,

22 † licet ex ea potestate etiam infames testes admittere possit, iuxta deducta per Farinacc. de opposition. contra personas testium quæst. 56. num. 88. per doctrinam Bartoli in d. l. filius familias, & de primo dicto num. 8.

23 Illud etiam hic duximus subnectendū; quòd ad examen impediendum sola hodiè capitalis inimicitia potens est, vt dicitur in d. Ritu 282. & per Grammaticum in decis. 80. & Rotam Bononiensem in conclus. 7. incip. obijciebatur. † Cum

24 alias communi iure excommunicationis quoq; infamiæ, & seruitutis obiectæ exceptiones idem operarentur, vt supra in prima consideratione notauimus.

25 Quantum tamen ad hoc creditur pertinere, non omittam, neque hodiè hanc ipsam praxim de inimicitiarum obiectu in iudicijs seruari, cum, & ea, vti & similes exceptiones, ad merita reseruentur; non secus ac in ditione ecclesiastica seruari meminit Iosephus Lodouicus in d. decis. 73. num. 13. & quantum ad nos, retulerunt Nouissimi in praxis 3. parte in Glosa similes, † licet seruari debere ex-

26 ceptionem in promptu probatam, etiam excommunicationis subijciat: Non tamen intelligendo in promptu, idest per spatium dierum octo, prout enunciatur in textu in cap. 1. de exceptio. in sexto, cum Ritus verè promptuariam exigat, non secus ac in Ritu liquidationum, Item si qui debitores, de exceptione solutionis in promptu probanda notatum est, vt ibi per Ebolitan.

27 Aliud tamen in proposito quam maximè necessarium, conticendum non est, quòd ad hoc, vt capitalis inimicitia à testificando testes repellat, aut inductos disperdat funditus, aut eis, quæ leuis est, deroget, in specie deducēda est; cum non præsumatur, l. in ratione, §. cum quidam, ff. ad leg. falcid. & in d. §. si quis verò in præallegato auth. de testibus, † ita quòd

28 in genere deducta nullatenus releuaret; In specie verò tūc deducta existimabitur, vbi cum suis causis, & qualitatibus ea designatur, secundum Bartol. in l. 1. §. ait prætor, ff. ne quid in flumine publico, Bald. in vulgata l. si quis testibus, C. de testibus, Imolam in cap. Rainutius de testamentis, Iasonem in l. 1. num. 9. C. eod. tit. Eundem in l. Titiæ textores num. 11. ff. de legat. 1. Grammat. in d. decis. 86. num. 5. Iasonem in l. sororem num. 11. C. de his, quibus, vt indignis, & alios allegantem Mascardum in conclus. 901. num. 7. & 12. † Vndè si quis examina-

29 tum testem, ei, contra quem examinatus est, odiosum esse simpliciter, & sic odij cau-

causa, seu causis tacitis, testatus sit; non benè, & vtiliter, probasse intelligetur, quia odium quandoq. sine iniuria, & paruipensione, vel damno esse potest, & est, cum quis malos iusto odio prosequitur; iuxta illud diuini eloquij. *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi*. vtputa fures, adulteros, homicidas, & his similes, & sic de illo odio intelligitur, quod ab ira

30 non præceditur, † ex ira ergò odium prodijsse testis affirmare debet; quòd tunc ponet; cum iniuriam aliquam testi illatam, paruipensionem, aut incommodum, ex quibus proculdubio molestia affectus intelligitur; pro causa examinabit; iuxta notata per Philosoph. in 2. Rethoric. lib. in d. cap. 7. Et quòd in spetie inimicitiæ deducendæ sint, habes per Raudensem in tract. de Analogis cap. 31. num. 14. & vt tandem hic pro omnibus in testes obijciendis criminibus generalem conclusionem faciamus, non secus ac de inimicitiarum obiectu dictũ est,

31 † omnia alia obijcienda in spetie articulanda, & probanda veniunt; vbi vtilem reprobationem, ad illam refugientes extruere volent; vtputa si furem dixerint, quòd tale furtum cum suis circumstantijs deducant, vt habes ex Bartoli traditione in d.l. testium, §. lege Iulia, & notatur in cap. præsentium in §. testes de testibus, in sexto, plenè per Vestrium in praxi lib. 5. cap. vltimo, num. 3. & in addit. num. 18. Marantam in Speculi sexta parte actu 13. num. 3. vbi in pluribus criminibus discurrit, & optimè prosequitur Follerius in clausula, & si confitebuatur num. 66. atque illud pro axio-

32 mate veluti, enunciat. † Repulsam ipsam, accusationis, & inquisitionis instar circunstantiarum complexu cõglutinari debere; cuiusmodi sunt, persona, locus, tẽpus, negocium, causa, & similes, vti habes per Grammat. in d. decis. 34. num. 21. & 22. & alios per Follerium eò loci allegatos, latè per Barbatiam in tract. de testibus parte 1. sub num. 36. & 37. & latissimè per Farinacc. de opposit. contra per-

33 sonas test. quæst. 56. num. 97. † Atque indè est; quòd dicitur testes super inimicitijs deponentes, etiam non interrogatos rationem reddere debere; vt per Grammatic. loco citato num. 15. & dicitur infra considerat. sexta quod ipsum optimè vlterius elicitur ex textu in cap. licet causam de probation. in illis verbis. *quamuis non reprobentur expressè*. Secundum quam expressam reprobationem infirmari testium dicta contingit; tamen quia ex alijs fuerunt detecti malæ conditionis, & famæ, eis non multum fidei tribuendum suadetur, & sic vt valida ea sit, iuxta producentis intentionem, expressa debet esse reprobatio, vt habes vlterius per Crottum de testibus 8. parte num. 6. Rotam Romanam in decis. 1. de libelli oblation. & in decis. item prima de accusat. in nouis, & per Romanum in consil. 290. incip. in casu propositæ consultationis, & Florianum in d. §. l. Iulia, num. 8. in allegata l. testium.

34 Aduertendo præterea, quòd non sufficeret testes infames, lusores, blasphemos, fures, & alijs similibus notis irretitos per alios testes comprobare; nisi per eos etiã addatur, quòd pro talibus communiter in ciuitate, vel loco, in quo ciues sunt, vel incolatum faciunt, ipsi tractantur, & reputãtur, iuxta plura allegata per Grammaticum in d. decis. 11. num. 12. & d. decis. 34. nu. 49.

35 † in his enim vulgi iudicium, vti illud, quod ingenio, & rerum experientia sapere cognitum est, simplex, incorruptumq. creditur, secundum Lactantium lib. 5. videas tamen in hoc Farinacc. loco allegato num. 87. vbi aliter sentire depræhenditur.

36 Commune, & illud præterea omnibus obiectibus est; vt pro eorum dijudicatione ad depositionis tempus referãtur; iuxta vulgatam illam iuris depositionem; quòd qualitas adiecta verbo debet intelligi secundum tempus verbi, vt in l. in delictis, §. si extraneus, ff. de noxalibus, vbi Florianus, l. si Titius, ff. de testam. milita. & in l. 2. ff. de auro, & argento legato, & quantum ad principalem conclusionem, habes per Bartol. in l. damni, §. Sabini, ff. de damno infecto, Bald. in l. si quando C. de testibus, Imolam in l. Antistitius, ff. de acquirenda hæredit. Afflictum in cap. si

vassallus in tit. qui testes sint necessarij ad proband. feud. ingratitud. num. 7. Raudensem in d. cap. 31. num. 15. & est textus vlterius in l. 3. §. duæ autem sunt causæ, ff. de carboni. edicto. Et per Andream Gayll. in obseruat. 105. num. 8. lib. 1. Baiardum ad Clarum quæst. 53. num. 8. Ripam in cap. cam te num. 25. de rescriptis, & Mascardum in conclus. 26. num. 6. Quarè, vt ad rem nostram, de inimicitiarum obiectu decurramus; qui testem, vti inimicum confundere nititur, inimicitiam cum eo depositionis tempore viguisse, probare debet, vt latè prosequitur Follerius in d. clausula, & si confitebuntur num. 62. & latius Farinacc. de opposit. contra personas testium quæst. 62. limitat. 12. quod declara vlterius, vt ibi per eum num. 299.

37 Hinc altera de necessitate cóclusio descendit, quòd si quis depositionis tempore fuerit inimicus, & postea cum eo reconciliatio secuta sit, non per hoc eius dictum ratum manebit, quasi reprobationis causa cessante; cum constet illam adhuc subsistere, quia videlicet damnum ex inimicitia præsumptiuè illatum, per subsecutam reconciliationé minimè purgatum intelligatur; quemadmodum, & minori damnum datum maior ætas superueniens non tollit, nec purgat; sed ad restitutionem in integrum aditum præstat; sicut per contrariũ non officit maior ætas alicui maiori, qui post factas à Minore in causa probationes, illi successit, iuxta ea; quæ fusissimè dixi in tracta. de primo, & secũdo beneficio considerat. 1. & quantum ad principalem cóclusio. habes per Glosam in allegato, §. si quis verò in verbo non adsit, in d. auth. de testibus, & Panormit. in d. cap. cum oporteat.

38 At hic loco quæri potest; quia multoties accidit, testibus in termino iuramentum deferri, vtputa in diebus iuridicis; cum eiusmodi delatio actus iudicialis sit, vt deindè in sequentibus non iuridicis examinari, pro partium opportunitate, valeant, † cum ad iuramenti diem, facto postea examine, retrotrahantur, iuxta vulgaria notata per Bouerium in singularibus in verbo Testis num. 26. Nunquid verò si quis inimicus iurauerit, ac deindè antequam examinetur fuerit amicus effectus, & deposuerit; poterit, vti inimicus, reprobari? & sanè si retrotractionem ad iuramentum respiciamus, iam inimicam eius depositionem affirmare possemus; attamen quia in depositionis actu agitari animi passiones verũ est, propterea illa vti ab amico facta; sedatis ex reconciliatione passionibus, probanda est, iuxta allegata per Brunorũ in vtriusq. iuris compendio resolutorio in verbo reconciliatus. † Quod verò de iuramenti die attendendo dictum est, ad examinis validitatem referri debet; cum etiam festiuo die factum, † quia examinatio actus iudicialis nón credatur, vti iuramenti delatio, sub iam præstiti iuramenti validitate concludatur, vt ibidem Bouerius notauit, & Albericus de Maletis in tract. de testibus cap. 3. num. 67. Menochius de arbitrijs iudicum quæst. 30. num. 15. optimè respondent notata per Farinacc. de oppositione contra personas testium quæst. 56. num. 95. & quæst. 62. limitatio. 12. num. 308. & per Brunorum in compendio in verbo depositio altero die, & quòd vti amicus deposuisse intelligatur; voluit Ruinus in consil. 288. num. 15. † benè verumtamen est, quòd de recenti reconciliatus adhuc repelli posset; quia quantum ad hoc haberi debet, ac si pax subsecuta non esset, iuxta textum in cap. accusatores, il primo, 3. quæst. 5. Glosam in cap. per tuas de simmonia, alios allegatos per Hippolit. de Marsilijs in singul. 107. num. 4. & Brunorum in loco citato, in verbo inimicus reconciliatus, & facit illud vulgare Ananiæ dictum in consil. 17. *De inimico reconciliato non confidas in æternum*; vbi Bolognius in additione, & per Romanum in singul. 319. & ibi apud addentes post eum. † in hoc tamen plurimum valiturum iudicantis arbitrium existimo, ob eos saltem, qui, vt loco citato Philosophus inquit, iniurias non recordantur, neque crimina obseruant, sed facilè reconciliantur propensi alias ad bonitatem

39 40 41 42 43

rem homines, Nam hos ita reconciliatos reprobari cognoscens iudex pati non debet. † & maximè si vltra triduum reconciliatio præcesserit, vt per Mascard. in d. conclusio. 1050. nu. 24. & inuicem conuersati essent, vt per Gomesium in allegato cap. 12. & alij innumeri allegati per Farinacc. in d. quæst. 53. num. 61. quod mihi plurimum probatur.

44

Quantum rursus attinet ad inimicitias depositionis tempore comprobandas, & quòd illæ eo tempore actu existentes reprobanti prosint, coangustari notabiliter potest, vt non procedat, † vbi data ad hoc opera procuratæ illæ fuissent, vtputa quia Titius à Sempronio fuerit tantum visus, vbi Clodium gladio interemit, & timens eius examen, ad hoc, vt ex capite inimicitiarum reprobare eum posset, nè indicium aduersus eum importet, ei aliquo quæsito colore, rixando, alapam dedit; Nam tunc ipsi eiusmodi inimicitiæ fraudulenta deductio nequaquam proderit, vt voluit Bartol. in l. 1. §. cum quis, per illum textum, ff. de quæstio. Angelus, Alexander, & alij in l. sed & si quis, §. illud sciendum, ff. si quis cautionibus. Allegati per Moncadam post Crottum in d. 3. parte num. 180. habes per Bouerium in singularibus in citato verbo Testis num. 29. & post eum in additio. in littera A. Gomesium in d. cap. 12. num. 15. in vers. quartò item etiam limitat. plenissimè per Farinacc. in allegata quæst. 53. num. 64. licet iudicis arbitrio hoc dirimendum subijciat, & habes per Baiardum ad Clarū in d. quæst. 24. num. 40. vti, & non proficere affectatum impedimentū habes apud Vrsillum in Afflicti decis. 29. sub num. 4. & similiter affectatam tutelam, vt in §. item tria onera institution. de excusation. tutor.

45

Tandem pro Coronide, vt quanti faciendæ sint inimicitiarum causæ in reprobationibus assequaris; illud tibi duximus repræsentandum; quòd, & si multæ efferantur causæ; quæ, earum fauore, reprobationes non admittunt; inimicitiarum tamen obiectum excludere non poterunt, secundum Bartoli traditionem in l. quæstionibus, ff. ad leg. Iuliam Maiest. & faciunt iura in allegato cap. per tuas, & in cap. tanta de simonia, & notata per Nouissimos in praxi de cognitione delictorū in titulo de blasphemia, in cap. de priuilegijs eius criminis num. 22. per Mascardum in conclusio. 857. num. 40. 43. & 47. & in conclusio. 900. num. 2. Nigrum in cap. Regni allegato incip. vulgaris num. 30. & in indiuiduo habes in præcedenti consideratio. & vt cum Platonis verbis concludam, pro prædictorum ratione; Is ita in dialogo 11. de legibus de eo, qui in iram conuertitur, loquitur. † *Profectò qui iræ, Rei penitus ingratæ morem gerit, ipsamq. quasi alimentis quibusdam noxijs explet, is quantum per disciplinam antè excultus fuerat, tantùm exacerbatus postea iracundam animæ partem, efferatusq. difficilem sibi viuendi reddit rationem, & hanc amaram ab ira gratiam suscipit*. & paulo post, dum inquit, *qua in re quicunq. se assuefacit, aut bonos mores penitus, aut magnanimitatem maxima ex parte amittit*. & hæc de prima, ex his, quas diximus, habitudine hactenus dixisse sufficiat.

46

47

Secunda igitur habitudine sumpta, rectè extremum alterum non modicè reprobationibus commodum, Testium cum producentibus insignes amicitiæ protendunt; vbi earum rationem, variasq. qualitates in medium afferre nobis curæ dabimus. Et primò rem exordientes; si Philosopho credimus in allegato cap. 7. de amore, & odio, † Amicitiæ plures sunt species, videlicet propinquitas, Agnatio, & sodalitas, alij, vt Hermolaus loco propinquitatis cognationem dicit; Alij verò vertunt, sodalitium, familiaritas, necessitudo, propinquitas, & alia eiusdem generis. Secundum primam versionem distinguitur à propinquitate † cognatio, quasi quòd ea sanguinis non exprimat coniunctionem; prout apud Nostros passim tàm per masculinum, quàm per fœmininum sexum coniunctos præsefert; quatenus videlicet in agnationem, & cognationem tanquam species diuiditur, vt in l. inter agnatos, vndè

48

49

50

legitimi, & in l. iurisconsultus, §. inter agnatos, ff. de gradibus, ac institut. de legitima agnato. & parentum tutela, & de legitima agnato. & cognato. successiõn. Secundum quam significationem, Hermolai versionem intelligendam, benè cõgruit; cùm propinquitatis is speciem suppresserit; Quarè quid cognatio ipsa in prima enunciata versione significet, excutiendum est, & proindè considerandum, 51 † quòd ea cognata interdum creduntur; quæ multum inuicem respondent, atque conueniunt; quòd si ita est, optimã à consanguinitate, seu propinquitate distãtem, 52 & seiunctam amicitiæ spetiem † cognatio ipsa designabit; cum magnæ proculdubio amicitiæ insurgant ex conuenientia secundum animam, aut animæ consuetudinem, aut mores, aut speciem; prout Plato in Liside penultima columna enunciauit: vel vt ibi per Marsilium Ficinum, ex conuenientia in idea, sidere, & genio, ac quadam animæ, corporisq. affectione; 53 † quæ amicitiæ exactissima species, necessitudo à Tullio vocata est, quæ multum propinquitati accedit, ac quandoq. excedit, aut nulla ex parte sanguinis iuribus creditur inferior; de qua dicendum est vlterius, vt infra, & habes per Neuizanũm in consil. 57. num. 14. & plenissimè per Philosoph. Politic. Nicomach. 8. cap. 5. 6. & 7. & eundem 9. Ethic. Nicomach. cap. 4. vbi quòd amicus est alter ipse, eundem Tulliũ in Lelio, dum inquit. Nihil est, quod tàm attrahat, & alliciat ad amicitiam, quàm similitudo; qua fit, vt bonos boni diligant, asciscantq. sibi quasi propinquitate coniunctos, atque natura: & ibidem alibi. Hinc constat bonis inter bonos quasi necessariam beneuolentiam esse.

54 Indè illud consequens est, vt singulas species, circa præmissa breuibus construamus; & primò quærere hic oportet; cur videlicet sit, quòd amicorum pro amicis dictum debile in iudicijs testimonium iudicetur? pro cuius quæsiti discussione, ita 55 poteris considerare, † quòd qui amicus alicui est, illum amare censetur, ille rursus amare, qui ea alicui desiderat, quæ bona arbitratur, illius quidem causa, non autem sui, hoc est, etiam si nihil eorum, quæ desiderat, ad ipsum deueniat, eaque pro viribus, vt amicus assequatur, efficere procurat, & in summa amicus ille creditur, qui amici commodis lætatur, eiusdemq; condolet, ac contristatur incommodis, cum tanquam ad seipsum, ad amicum quum reflectitur, se habere intelligatur, ac alter ille esse amicus præsumatur, secundum Philosophum Ethic. 4. & Ciceronem in lib. 1. de legibus, & in oratione pro Planco, ac insuper vna anima in duobus corporibus habitans, ex Philosophi sententia apud Diogenem lib. 5. cui illud Horatianum affabrè respondet carminum lib. 1. ode 3. *Et serues animæ dimidium meæ.* † vndè eadem sentire, eadem velle, ac fateri, eisdemq. affici, amicorum est proprium. 56 Quibus ita dictatis illud consequens est, quòd cum in occurrentibus controuersijs, vel de amicorum commodo agatur, pro quo habito, lætitia eis cedit, vel vt habeatur, amicorum non deficit industria, vel de incommodo, pro quo dolet, illato, & nè inferatur, procurat; meritò propterea, pro amicis attestantes suspecti esse intelliguntur; cum quodammodo in propria causa deponere exaudiantur; quod legibus vetitum clarissimè constat. Sed hoc nunc distinctè magis, per singulas species discurrendo, legibus, & Doctorum attestationibus prosequamur.

57 Quãtum ad primam amicitiæ speciem; quæ propinquitas dicitur, an ad reprobandum valida sit, vbi quæras; propinquos eos affirmabimus; qui per sanguinis vinculum inuicem sibi attinent, ac propè sunt, vt in c. 1. & 2. 35. quæst. 5. & quoad eos ita breuiter distinguere poteris, quòd 58 aut loquimur † de propinquitate, seu sanguinis illa coniunctione, quæ per rectam lineam personas coniungit, & subordinat, vt patres, & filios, auos, & auias, nepotes, & neptes, pronepotes, & proneptes, eorumq. proauos, & proauias, & successiuè ascendentes, & descendentes vtriusq. sexus alios; † aut verò de ea, quæ ex latere, 59 seu ex transuerso consideratur, vt inter patruum,

patruum,& amitam, auunculum, & materteram, & eorum nepotes, & neptes, pronepotes,& pronepres in linea inequali,vel inter patrueles fratres,& alios in linea recta,seu equali positos, ac primum in ea occurrentes fratres,& sorores, siuè consanguinei, aut vterini, vel vtrinque coniuncti illi sint, vt in §. fratris ergò, & §.duorum autem, & sequenti institut. de nuptijs,& in auth. de consanguin. & vterinis fratribus.

60 Quoad primum, recta linea inuicem coniunctos non probari attestantes, vbi pro his,quibus præsunt, aut è contra, quibus subsunt,aut parent,deposuisse constiterit, clarissimum est; cum inuicem, vel ex ipso naturæ dictamine maximè cupiat l. dotem,in fine,ff.de castrensi peculio,& sic bona quærant, ac incommoda vitent. Habes in l.testis idoneus, ff. de testibus, & in l. parentes, iuxta Baldi summarium, C. eod. tit. & per Gomesium in allegato cap. 12. num. 15. nisi tamen pars altera consentiret,nam tunc benè probarent, vt per Albericum de Maletis de testibus parte prima num.23.

61 Quantum verò ad coniunctos ex transuerso latere alios attinet, si de fratribus primi gradus loquamur, non esse eos inuicem idoneos testes, & maximè, vbi in vnius parentis potestate degant; voluit Glosa in l. lege iulia,ff.de testibus,Bartolus in d.l. parentes in secunda lectura, & alij allegati per Gabriellium lib. 1. commun. conclus. in tit. de testibus conclus. 14. in principio,& alij plures allegati per Mascard. in conclusio. 408. num. 12. &

62 conclusio. 412. num. 6. † conclusionem hanc non solum in ciuili negocio locum habere intelligendo, sed multo magis in criminali ad alterius offensionem instituto, secundum enim Tullium, muti accusatores dicuntur, in oratione pro Roscio; Nam fratri tunc facta iniuria, aut datum incommodum ipsis etiam illata,& datum censetur, vndè non minus eo, qui passus est; & ipsi ad capitales inimicitias prouocati exaudiuntur,vt meritò propterea improbatissimum eorum testimonium, ex antedictis, assequaris, iuxta notata per Grammatic.in d. decis.34.num.20.& decisio. 43. num. 15. ad quod & illud passim iactatum conducit multum; dum dicitur,

63 † quòd multum amicus cum inimico meo capitali, non creditur contra me integer testis,vt habes per Crottũ in allegata parte 3.n.108. per iura in d.c.repellantur,& c. cũ oporteat,de accusat.Campegiũ in citata Regula 22.Lanfranc.in d. tract.de testibus nu. 84. & Mascardum in cõclus.899.nu.31.& 35.& ratio est, quia cum pro eius amico mihi inimico bonum quærat, à mea voluntate longè est, & contradicit. Ex quo, & illud pariter descendit, quòd cum ab inimicis nostrorum inimicorum in vnam vltionis voluntatem, ac promptitudinem prouocemur,vti in desiderio concordes ab illis amamur reciprocè amantes secundum philosoph. in d. lib. 2.cap.7. dum inquit. *Et eos,qui sunt eisdem inimici, odioq. habentes eosdem,quos nos ipsi odio habemus*, & habes per Bartol. in l. sciendum, §.si accusatio. per illam text. ff.de legationibus.

64 At ad rem decurrendo, si ad pulsatorũ fratrum in criminali iudicio defensionem fratres deducantur,recipiendi sanè erunt, ac legitimè probabunt, & maximè in his, quæ vti difficilis probationis, extraneis alijs non facilè patere potuerunt, vt puta ad confessatum errorem purgandum, ad hæresis notam fratri datam expungendã, ad homicidium contra eundem prætensum per negatiuæ loco, & tempore coarctatæ probationem excludendum, & similia,vt in d.l.parentes,& in cap. in litteris de præsumptio. habes per Paridem in tract. syndicatus in verbo inquisitio cap. 2. in principio eundem, in verbo Tortura num. 13. prosequitur Mascard. in allegata conclusio. 408. num. 20. & 27. & in conclus.412. num.7.& 8. & conclus.261 num.7. Ioannes Arnonius in conclus.25. & optimè per Alexand. exemplificantem in consil.5.incip.in casu inquisitionis formatæ num. 8. volum. 1. & Florian. in l. confessionibus circa finem, ff.de interrogat. actio. cum & de iure non admittendi alij similiter admittantur, vt per Grillãd. de relaxat. carcerat. quæst. 3. per totam

tam fol. mihi 307.

Intelligendo tamen quum iudex ex officio tantum procedit; non item si pars accusatrix assistat; vti benè declarat Farinacc. de oppositio. contra personas testium quæst. 54. num. 121. Tu verò hoc iudicis arbitrio remittendum, ex Clari sententia dicas in vulgata quæst. 24. vbi habes per Baiardum num. 132.

66 Id ipsum præterea, quod de fratribus ad fratrum defensionem admittendis dictum est, ampliandum est, vt procedat etiam in parentibus, vt apud eosdem in allegatis iuribus benè legis.

67 Illud tamen nolumus tibi incognitum; quòd & si ad defensionem consanguinei prædicti admitti possint; non tamen ad omnem defensionis spetiem præualebũt; Nam, & testium reprobatio licet inter defensionum species relata sit; non tamen ad eius constructionem parentes, & fratres legitimi testes existimati sunt, † intelligendo, siuè ea aduersus testium personas concipiatur, vbi constat, & in eorũdem offensionem eam dirigi, sed etiam si aduersus dicta, ad delicti exclusionem, ipsa dirigatur, atque formetur, vt habes per Grammat. in d.decis.34. num. 14. & Mascard. in conclus.905. nu.11. vbi plenè, & ratio est, † quia in reprobationibus prædictis, vti odiosis, testes omni exceptione maiores requiruntur, cuiusmodi consanguinei nequaquam esse intelligun tur, vt per eundem Grammatic. in consil. 22. num.31. Farinacc. in d.quæst. 62. limitatio.5.num.91. eundem in quæst.55. inspectio.1. nu.72. & Baiard. ad Clarum in vulgari quæst.24.num.129.

68

69

70 Quòd rursus de criminali causa notatum est, intelligas tu ampliando, etiam si ciuiliter ea instituta sit; Nam adhuc eorum non magnifaciendum testimonium probatum est, iuxta Panormitani traditionem in vulgato cap. cum oporteat, sequitur Mascard. in d. conclus.412. nu.4. & conclus. 408. num.6. & 7. & conclus. 811.num.2.

71 Quantum verò ad ciuiles causas, & si iam prolata sententia verissima sit, in multis tamen exceptiones receptissimas admisit; & primò, vt non procedat in causa matrimoniali; Nam in ea ipsi tanquam magis veritatem scientes, l.octaui, ff. vndè cognati, optimè probare intelligẽdi sunt, per textũ in cap.1. 35.quæst.6. & in cap. super eo, il secondo, vbi Doctores communiter notarunt, de testibus, habes per Mascard. in conclus.69.num.2. Gabriellium de testibus conclusio.9. & in d.conclusio.14. num.8. † vbi, & fratrem spectatæ fidei, & summæ religionis hominẽ excipit num.2. † Item inter communes fratres deponentem alium nu.4. & alios, de quibus dic, vt per eum; & quantum ad principalem conclusionem habes per Menoch. latissimè considerantem de arbitrarijs iudicum casu 102.

72

73

74 Successiuè quoad alios magis vltra coniunctos creditur pertinere, inter cohabitantes & non cohabitantes notabiliter Doctores distinguere depræhensi sunt. Quoad cohabitantes rursus considerando; quòd aut † in instrumentis efferuntur in testes adhibiti, aut non adhibiti; primo casu, quia ex rogatione illa à partibus facta, approbati intelliguntur, quoad eorum personas, eos reprobari non posse, per Bald. in d.l.parentes, notatum est, & de antecedenti conclu sio. per Glosam, in d.auth.de testibus in S. sed exigimus in verbo supplicijs, & alios allegatos per Frecciam de præsentat. instrumentor.parte 3.nu.11. rursus de consequẽti habes per alios allegatos per Mascard.in d.conclusio.408.num.17.& Farinacc. plenè examinantem, in vulgata quæst.62. limitatio. 7. per totam, vbi videas, † secus verò si ij incidenter fuissent in testes adhibiti alias contrahenti alteri ignoti, vt ibidem per eum nu.118. & per Alexand.in consil.191.vol.7.

75

76

Secundo verò casu rursus considerandum est; quòd aut qui examinati sunt cũ vtraq; parte litiganti coniuncti depræhen duntur, ac cum vtraq. simul habitare; † & tunc quia par affectionis causa cum vtraq. subesse intelligitur, benè probant, vt per Mascard. in d.conclusio. 408. nu. 21.Menoch.in consil.45.num.27.& Gomesium in d.cap.12.nu. 14. circa finem.

77

Aut

Aut verò cum eo cohabitant, pro quo deposuerunt, & tunc dicendum est, quia præponderet cum eo ex cohabitatione, affectio, eorum ex dictis aliquid subtrahendum fore. Ex quo, & illud necessa-
78 riò fluit,† quòd si contingat eum pro non cohabitante, contra cohabitantem alterum testificari, alio in contrarium non vrgente, quod efficaciter probabit. Ea tunc valida coniectura desumpta, quòd pro veritate is ad testificandum perductus fuerit.

Vbi verò pro coniunctis aduersus non coniunctos cæteros, eos examinari cōtin-
79 gat, breuiter dici potest, † quòd aut pars ipsa, cōtra quā examinati sunt, de coniunctione eorum cum producente opposuit, & iudici probauit, iuxta text. in l. quinquaginta, ff. de probation. & tunc plenè non probabunt, ex Glosatoris placito in cap. consanguinei 3. quæst. 5. habes per Mascard. in sæpè citatis conclusio. 408. num. 8. & conclusio. 411. num. 4. Aut ve-
80 rò non opposuit, & tunc † quia in omnibus his, quæ partium consensu tolli possunt, habilitati ipsi intelliguntur, nisi alio legis impedimento ipsi corripiātur, optimè probare poterunt, iuxta Baldi doctrinam in vulgata l. si quis testibus, in vers. dubitatur hic, sequitur Mascardus in d. conclusio. 408. num. 20. & Baiardus ad Clarum in d. quæst. 24. nu. 126. Diximus in omnibus his, quæ partium cōsensu tolli possunt, nè videlicet reprobationem ex iure, iudicis officio faciendam excludamus; de qua in sexta consideratione in vniuersum dicetur.

81 Quantum prætere a ad non cohabitantes adhuc distinguendum est, quòd aut loquimur in causis leuibus, in quibus nullum quoad famam ipsius coniuncti præiudicium vertitur, & tunc, nisi alia qualitas obsistere videatur, iudicantis adhoc superinducto iudicio, fidem facient, dum tamen minus eis, quam alijs circa fidem deferatur, vt habes apud Mascard. in d.
82 conclusio. 408. num. 2. & 3. † Aut verò, in grauibus, & tunc nisi aliqua sint sanctitate conspicui, eis plenè deferendum non erit, vt per Glosam in cap. in summa, 3. quæst. 5. & alios allegatos per Mascard. in d. conclusio. 408. num. 16. & 15. & conclusio. 411. num. 5. & Bald. in d. l. parentes, Intelligendo tamen omnia secundum ea; quæ in cohabitantibus proximè exposuimus, & quæ latius in allegata supra conclusio. Gabriellius prosequitur.

83 Subindè, & alia propinquitas est, quæ ex affinitate descendit, per matrimonij contractum, quum videlicet ad fines eosdem, ex distantibus cognationibus prodeuntes, vir, & vxor perducuntur. Fit etenim indè, vt vtriusq. coniugum consanguinei, qui sunt, inuicem coniugibus ipsis affines fiant, proximeq. accedant, videlicet mariti qui sunt ipsi sociatæ vxori, in illis gradibus, in quibus iure sanguinis viro ipsi obstricti reperiuntur, & sic è contra, non nisi consanguinitatis in affinitatis nomen mutatione facta. Quarè, & de his successiuè videndum; vti nempè pro Affinibus inducti probare intelligēdi sint.

Qua in re tunc sanè eorum in testificando habilitatem assequi poterimus, cū ineundæ affinitatis, vel summo digito, rationem considerauerimus. Non enim quam cuilibet visum fuisset Romana sub ditione viuētibus liberis hominibus vxorem ducere licuisse, in §. non ergò, in titulo de nuptijs, Iustinianus testatus est, cum certi ex transuerso gradus præfiniti fuerint, in quibus prohibitæ omnimodo nuptiæ enunciabantur, prout, & nūc in præsenti hoc, vlterius quamuis, quo in eis vtimur, canonum iure prohibentur.

84 Eius prohibitionis ea fuit primùm ratio, si Plutarco credimus in suis problematibus cap. 108. vt videlicet per extraneorum ineundas coniunctiones augerentur ad charitatem, mutuumq. subsidium necessitudines, vltrò videlicet citroq. fi-
85 lias dando, & accipiendo † cui, & Augustinus secundo loco propemodum assensisse videtur, lib. de Ciuitate Dei 15. cap. 16. dum inquit. *Habita est enim ratio rectissima charitatis, vt homines quibus esset vtilis, atque honesta concordia diuersarum necessitudinum vinculis necterentur, nec vnus in vna multas haberet, sed singula spargerentur in singulos, ac sic ad*

socia-

socialem vitam diligentius colligendam plurima plurimos obtinerent; vt habes etiam ex eodem Augustino resumptum in cap. 1. 35. quæst. 1. Ex quibus ad rem nostram decurrẽdo, quia per matrimonium distantes penitus cognationes iunguntur, ac penè fugientes, & elongatæ aliæ reuocantur, vt indè noua quasi adiutrice necessitudine, eorum repleantur animi; ac in occurrentibus factis, ea dictante, alij in aliorum partes facilè concedant; propterea illud consequens est, vt ęquum quoddam animi iudicium; quod pro vtraque parte testes pretendere debent; abalienari, remoueriq. ab eis, dum testificantur, intelligatur: quòd si ita est, prout est verissimum, fuit admodum necesse; nè dum se, inuicem defendendo, diffundunt, alijs, eorum iura consternendo, iniuriam inferant, de eorum testãtium fide comminuere. Quod ipsum quemadmodum legibus, ac Doctorũ placitis latius deductum fuerit, pro nostri instituti ratione, breuibus dispiciamus.

Qua in re ea primũ probata distinctio fuit; quòd aut qui examinatus est fuit de præterito affinis, aut est etiam in præsenti. 86 † Primo casu, nisi aliud oppugnet, integrum eius testimoniũ affirmari potest, vt per Angelum in l. cui eorum, §. 1. ff. de postulando, sequitur Albericus de Maletis in tract. de testibus parte 1. col. vltima in fine, Campegius in Regula 8. in vers. fallit primò. Alij plures allegati per Gabriellium in tit. de testibus conclusio. 15. 87 num. 4. † Rectius tamen in hoc sentire deprehendemur, si iudicis arbitrio, id ipsum remittendũ sentiamus, considerato, quòd, & si per solutionem Affinitatis, credatur diminui amoris conceptum vinculum, nõ tamen penitus illud tolli, verum est, vt per 88 Baiardum ad Clarũ in d. q. 24. n. 24. † Vnde eius depositione stante, ad suppletoriũ decurri non posset, ex quo omni ex parte integer, vti requiritur, non intelligeretur; de quo dic, vt infra in secunda parte suo loco. Secundo verò casu aut loquimur in causis ciuilibus, aut criminalibus, primo casu, & sic vbi sumus in ciuilibus, rur- 89 sus dicendum, quòd aut † affines sunt per lineam ascendentem, & descendentem, aut collateralem. Primo casu admittendi non sunt, admissiq. nequaquam integri censendi, partis tamen ad hoc, vt supra in consanguineis diximus, protestatione emissa, iuxta Innocentij doctrinam in cap. cum canonicus de officio delegati, relatam per Io. Andream in cap. nonnulli de rescriptis, sequitur Marsilius in eius singula. 133. Aufrerius in tracta. de testibus in verbo Affinis num. 9. dicitur post Lanfrancum in tracta. item de testibus num. 58. per Celsum addentem, & alios plenè allegatos per Gabriellium in d. conclusio. 15. num. 1. Secundo verò casu, vbi per Collateralem, rursus dicẽdum, quòd aut vigens Affinitas vsque ad quartum gradum, vel infra est, vel septimum, secundum Lanfrancũ loco citato, in vers. Intellige Affines, vel vltra quartum, seu septimum. † Primo casu nequaquam in- 90 teger credendus est, intelligendo tamen, vbi infra quartum gradum in primo Affinitatis genere is sit, secundum quod ad illum vsque in eo genere contrahẽdi matrimonij viget prohibitio, vt in cap. non debet de consanguinit. & affinit. & iuxta ibi notata per Doctores, & per Aufrerium loco citato, dicto num. 9. Vndè, & illa descendit indubitata conclusio, † quòd si 91 vnus in causa eiusmodi testis intercedat, non est, vt diximus, suppletorio locus, secundum Angelum in consil. 194. col. 2. habes per Bartolum in vulgari l. admonendi, ff. de iure iurando; refert, & sequitur Lanfrancus d. num. 58. vers. credunt tamen.

92 Secundo verò casu, quia remotiores sunt, ac nimium à longè se attingunt, nisi ex alio arguatur affectio, vt puta, quòd se ita inuicem tractare conspiciantur, ac si in strictissimo gradu se attingerent, non improbabuntur; quò vero ad secundum casum secundi mẽbri primæ distinctionis principalis, † & sic causis criminalibus, 93 dicendum est, quòd vbi ad defensionem ipsi inducuntur, bene, iuxta supra de consanguineis notata, proderunt. † Quòd si 94 pro eis in aliorum offensionem inducantur, non item; cum ad propriam tunc

quasi

quasi iniuriam vindicandam ipsi insurgere præsumantur, etiam si in causa iniuriarum, quæ ciuiliter mota esset, inducerentur, iuxta Bartoli traditionem in l. lex iulia, ff. de iniurijs, & in l. qui testamento, §. per contrarium, ff. de testament. per iura in l. 1. 2. & 3. ff. de liberali causa, habes per Lanfrancum loco citato, Albericum num. 55. Baldum, & alios in vulgata l. parentes, plures allegatos post Campegium in d. Regula 8. in additio. 1. & sequenti, & hæc de affinibus dicta sufficiāt, quorum si cætera exquirendi iura voluntas adsit, ea supra scriptis de consanguineis repetere poteris, ac ex plenissimè notatis per Mascardum in eius conclusione 68. incip. Affinis non probat à num. 6. vsque ad num. 12. adibis, & textum in l. aut affinitate, ff. de procurat.

Consequenter, quia ars naturam imitatur, §. minorem instit. de adoptio. & vt Fabius Quintilianus lib. 1. Institution. Oratoriarum inquit. *Ars fingit, & natura fingitur*. Factum propterea est, vt propinquis, quos diximus, quorumuè iura prosecuti sumus, alij pariter, ex iuris vtriusq. censura accesserint † quales 95 sunt, qui ex lege adoptiui filij, filiæq; nepotes, neptesuè fiunt, ac ex spirituali cognatione, vtputa Baptismatis, & Chrismatis sacramento, secundum interiorem hominem, compatres, commatres, & qui passim in Domino leuantur, & suscipiuntur filij, de quibus institution. ff. & C. de adoption. & alijs de cognatione legali, & spirituali in vniuersum titulis inscriptis; ea propter de singulis, quam inuicem, se testimonio iuuantes fidem faciant, pro nostro instituto videndum. 96

Et primò quātum ad adoptiuos filios, licet in indiuiduo eos pro adoptiuis patribus attestantes fidem non facere; non sit aliquo iure proditum, ac è conuersò pro filijs eiusmodi parentes; & ex regula, quòd quę prohibita nō sunt, permissa cēseantur, l. nec non, §. 1. ff. ex quib. caus. maiores, l. statuas, C. de religios. & sūpt. funer. & in cap. 1. de procurato. in sexto, & maximè in hoc testium prohibitorio edicto, vndè eos fidem inuicem facere attentari possit; tamen quia, ex morum conuenientia, ac studiorum fortasse commendata honestate, ad talia vincula decurritur, non sine maxima animorum coniunctione, quæ ex similitudine illa exoritur, propterea eorum inuicem non probari testimonium, successiuè conclusum fuit, vt per Albericum de Maletis parte prima, n. 24. quem refert, & sequitur Campegius in Regula secunda, vers. quinto. in parte, & Reg. 4. vers. quartò filij † nulla insuper habita ratione distin- 97 ctionis, de qua in l. cū in adoptiuis, C. de adoptio. relatæ, in §. sed hodiè institut. eod. tit. cum quoad prærogatiuas, & paternam affectionem, & è contra filialem respectum, & obseruationē, nulla sit considerata differentia inter hos legitimos, & naturales alteros. Benè verum tamen est, † quòd ea patria potestas adoptiuo- 98 rum, per emancipationem penitus dissoluitur, sinè aliqua reconciliationis spe, cū emancipatus adoptiuus, iterum adoptari non possit, nè ludibrio adoptionis cedat inuentum, l. qui liberatus, ff. præcitato titulo. fit indè, quòd cum hoc casu penitus extranei ipsi inter se efficiantur, † vt sic 99 effecti legitimè ad probandū induci possint, vt ibidem per eos, & habes per Mascard. alios allegantem in conclus. 1148. num. 18. & Farinacc. de oppositio. contra person. testium quæst. 54. num. 160. Non tamen hoc à iudicis arbitrio excipiendum puto; potest enim esse, quòd legati agnoscendi gratia emancipatio facta sit, & quòd quæ inter eos inualuit affectio, nullatenus fuerit diminuta; & tantò magis, † quòd quoad quædam remanere 100 eius patriæ potestatis reliquias non est iure incognitum, vt in §. ergò non omnes in fine institutio. de nuptijs.

Quantum verò ad caput alterum de spiritali cognatione, & si edictum de testibus prohibitorium sit, ac similiter de compatribus hisce, eorundemq. spiritualibus filijs mentio nulla facta sit; ita vt, iuxta supradicta, probatum inuicem testimonium affirmari possit: quia tamen inter compatres, & commatres rursum, & eorum

eorum spirituales filios similiter cognatio, ac necessitudo quędam spiritalis, non sine maxima beneuolentia, consideratur, vt in c. 1. & aliis 30. quæst. 1. vbi, † quòd suscipiens in sacro Baptismate à suscepto, vti pater sit diligendus, & magis, quàm pater adoptiuus, vt per Glosam in cap. pictauium 30. quæst. 3. & in cap. diligere, & in cap. qui dormierit, eadem allegata causa, & quæstione, & in l. si quis alumnā C. de nuptiis; propterea † vera est conclusio nō posse alterum pro altero integrum testimonium ferre; præsertim in criminalibus causis, vt voluit Baldus in l. generaliter de in ius vocando, vbi quòd vti filius, susceptus, qui est, non possit spiritualem patrem in ius vocare sine venia, Alexand. in consil. 143. vol. 2. & alii plures relati per Curtium in tracta. de testibus conclusio. 30. num. 63. & Crottum parte 3. num. 117. vers. vndecimò principaliter quæritur. † Contrarium tamen; & sic quòd testificari inuicem valeant in d. l. parentes, Baldus sibi contrarius respondit, sequitur referendo Albericus in prima parte de testibus num. 25. Menochius de arbitrarijs judicum casu 100. in vers. secunda fuit opinio, & Florianus in l. testis idoneus num. 2. ff. de testibus, quibus addo Cāpeg. in Reg. 3. vers. Tertiò fallit.

101 102 103 104

† Tu verò circa prædicta conclusiuè dicas, iuxta plura notata per Mascardum in eius conclusio. 332. incip. compatrem. Quòd aut loquimur de compatre erga alium compatrem, & tunc quod inuicem latum testimonium ratum maneat, prout communi est opinione receptum, siuè in ciuili, siuè in criminali causa illud exploratum sit, licet hoc ipsum suo iudici arbitrarium voluerit Menochius de arbitrarijs in allegato casu 100. num. 4. Quod sanè eius dictum negligendum esse non videtur, cum ex considerata inter eos affectione; nè quid in iustitiæ administratione detrimenti inferretur, & compatratus vinculū Magistratibus in administrationis loco cum subditis contrahere prohibitum fuerit, ex Regia pragmatica 13. inter editas per Marchionem Mondeiaris Proregem, & facit singulare Mātuæ 253. incip. in causa. † Aut verò de leuato erga leuantem, & è contra; & tunc licet hi filiorum non veniant appellatione, vt ibidē Albericus notauit; ex ordinata tamen illa charitate, quæ inter eos viget, non esse illis integram fidem præstādam placitum est, ex allegatis, & comportatis per Mascard. loco proximè citato nu. 8. & quatuor sequentibus; † concinitq. quòd de Alumno ergà educatorē dictum est; quòd videlicet eius pro altero non sit sufficiens attestatio, iuxta conclusa, & allegata per Mascard. in conclus. 77. nu. 12. vbi Lanfrancum de communi attestantem refert num. 61. Menoch. de arbitrarijs iudicum casu 101. nu. 3. & 4. & per Farinacc. loco allegato n. 161. & sequētibus, & iure quidem, † cū iusta tunc manumissionis causa fuerit; tanto animorū affectu, inter se, qui hæc ipsa exercent, conuenire solent, vt in l. si minor annis viginti cū duabus sequentibus, ff. de manumiss. vindicta, & in §. eadem lege ælia institutio. quibus ex caus. manumitt. licet, vel non.

105 106 107

Quantum rursus ad eorum mutuā beneuolentiam explicandam, † illud mirè laudādum Antonini Philosophi Imperatoris in eius demortuum Educatorem gestū, quam maximè cōfert. Adeò etenim is eum defleuit, vt Aulicis inibi ab eiusmodi officio eum reuocādi ansam præbuerit, ac ipsis cum effectu eū reuocare volentibus, respondisse feratur. *Sinite me naturæ satisfacere, nō enim philosophia, aut imperiū ea potest tollere; quæ naturæ sunt.* † & in summa, si alia inter eos ex affectione mutua obtinētia singularia videre peroptas, Balduinum pleraq. enumerantem in d. §. eadem lege ælia, in verbo Educatorem adeas; Nam, & ea huc collata non parum antescriptis prodesse comperies.

108 109

Sed ex his iam loco succedit, vt ad alteram, & secundā amicitiæ speciem decurramus; quæ cognatio nuncupatur: quam nos non sanguinis coniunctionem, de qua sub ꝓpinquitatis nomine plura diximus, sed morū, studiorum, ac corporū similitudinē, vti in præcedentibus ex Platone deduximus, præseferre, ex exemplariū collatione cōclusimus. † Atque hæc ipsa ea est, 110 111

quæ

quæ honestati coniuncta, æterna, & sine querela paucis conuenit. Dixi æterna, & sine querela, qa videlicet eius in virtute finis positus sit, conditionesq. illas sortiatur, de quibus plenè in præcedentibus disseruimus. † Demonstratur tamen vlterius optimè ex Hieroglifico Aegyptiorum illo in Iuuenis aperto pectore scripto. *Hiems, & æstas*; quia videlicet in secundis, aduersisq. ea nunquam cadat. Differt tamen illa plurimum ab ea, quæ in vtilitate consistit, itemq. ab altera in iucundo posita; † quippe cum super caducis, & temporarijs rebus positæ cum ipsis deficientibus, & ipsæ concidant; ac proindè querelis plurimis subiaceant. Non enim semper vtilitates prouenire nobis ex amicis, aut quæ ex eis speramus, iucũda possunt, vt per Philosophum 8. Ethicorum cap. 3. & Platonem in Dialogo de Hominis natura, dum inquit. † *Nonne tui corporis amator, cum primum species deflorescit, abiens deserit?* atque ij profectò sunt, qui nõ amicos, sed amicorum quæ sunt, amare censentur, vt per Tullium in libro de amicitia, & apud eundem ad Herennium lib. 4. dum inquit. *Qui fortunis alicuius inducti amicitiam eius secuti sunt, ij simul, atque fortuna elapsa est, deuolant omnes, cum enim recessit ea res, quæ fuit necessitudinis causa, nihil superest, quarè possint in amicitias retineri.* & illud aliud facit apud Platonem loco allegato; dum inquit. *Quis etiam corpus Alcibiadis amauit, vnquam non Alcibiadem ipsum; sed quæ Alcibiadis essent, amauit.* ad hæc etiam aliud apud eundem Platonem in Phedro relatum prouerbium facit. † *Pares cum paribus iucundissimè congregantur, æqualitas enim propter similitudinem, ad æquales voluptates trahit.* & quantum ad antedicta de amicitiæ duratione in vtilitate positæ, nè deseras, quòd in vulgatis dicitur carminibus.

Cũ fueris felix multos numerabis amicos,
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

vel, vt vulgariter magis

Tempore felici multi numerantur amici,
Dum fortuna perit, nullus amicus erit.

Et latius repetijt Hetrusca lingua Ludouicus Ariostus in cantu 19. dum inquit.

Alcun non può saper da chi sia amato,
Quando felice in su la ruota siede,
Però ch'hà veri, & finti amici à lato,
Et mostran tutti vna medesma fede:
Se poi si cangia in tristo il lietò stato,
Volta la turba adulatrice il piede:
Ma quel, che di cuor ama riman forte,
Et ama il suo signor dopoi la morte.

argutè verò apud Hispanos. *Tanto l'hombre tien amigos, quanto come con testigos.*

Præterea hæ in vtilitate, & iucundo positæ speties sub tertia illa principali spetie includi, ac cõsiderari possunt. Quæ sodalicium dicitur; sub qua ipsa specie familiaritates, famulatus, societates, & alia similia, de quibus passim infra, pariter compræhendi possunt. Quibus ita in præuiæ inspectionis modum consideratis; dum de amicorum fide testantium quæritur; qualis videlicet ea sit, quantiq. facienda. † Si de amicis in prima illa virtutis specie loquamur, nequaquam eorum subterfugiendum, aut comminuendum testimonium virtus intercidens indicat, ac ad eam initiũ præbens præsefert. † Dei etenim conciliatoris ductu in ea specie amici fieri intelliguntur, ex Platonis sententia, in Liside col. 6. in fine, dum inquit. *Deus similem semper ducit ad similem, & notum facit.* Vnde, & illud descendit, vt sanctum amicitiæ eiusmodi nomen creditum sit, vt apud Plutarcum de amicitia, † quare periurium omne ab eis alienum existimandum est. Nam licet amicum amico proficere deceat, eatenus tamen prodesse permissum ad amicitiam illud dirigens bonum suadet, ac præcipit; quatenus ex Licurgi sententia, periurium non admittat. Et cum honestum, & iustum apud Deum sedeant, illud vulgatum inoleuit. *ab amico nonnisi iusta quæras.* † Quarè, cum deponit, non præter officij, & insignis pietatis virtutem deposuisse, aut deponere intelligendus est, ex Hostiensis, & Ioan: Andreæ placito in cap. quoties de testibus, & aliorum relatorum per Mascardum in conclusione 86. num. 11. & 12. Albericum de Maletis in dicto tracta. de testibus cap. 2.

num.20. Farinacc. de indicijs quæstione 43. num. 172. & eundem de opposition. contra personas testium quæst. 55. inspectic. 5. num. 249. Tandem antedictis maximè respondet Tullij sententia officior. lib. 3. dum inquit: † *Nam si omnia facienda sint, quæ amici velint, non amicitiæ tales, sed coniurationes putandæ sunt. Loquor autem de communibus amicitijs; nam in sapientibus viris, atque perfectis nihil potest esse tale.*

121

122

Quantum ad secundam amicitiæ spetiem, quæ in vtilitate fundatur, ea rursus distinguenda est; Nam aut vtilitas insurgit occasione certæ rei; in qua communitas, seu societas inter aliquos inita sit, aut ex alterius in alterum mera liberalitate; qua procedente, passim accipere; aut apud aliquem conuiuari multi solēt.

Circa primum caput nedum socij versari intelligendi sunt, & fundorum Coloni, vulgo, Massarij dicti, quibus vtilitates communicari, vsu est receptum; sed etiam qui de damno vitando contendunt alij, vt venditor in re ipsa vendita, ac qui alterius obligationi accedunt, fideiussores, Aduocati, & procuratores de litis quota, vt dicitur, paciscentes; Homines de vniuersitate, aut consimiles causas habentes alij; de quibus singulis ordinatè, vt moris est, ac summo digito primum videamus.

123

Quantum ad socios, vbi ij omnium bonorum perferuntur; quia tàm prosperæ, quàm aduersæ fortunæ inter eos communicantur; eos inuicem nullam fidem facere satis probatum est, apud Glosatorem in l. quoniam, C. pro socio; cum in summa, in propria causa attestari ipsi intelligantur contra iura in l. nullus, ff. de testibus, & in l. omnibus, C. eod. titulo, † vndè in indiuiduis alter alterius priuilegio vtitur, l. qui duos, ff. de liberatio. legata, l. si communem, ff. quemadmod. seruit. ammitta. & in cap. vnico de iure patronat. in sexto, sicut successiuè alter alterius contractu ligatur, vt per Surdum in decisio. mantuana 213. in principio; & sic vti vnius lucrum cum lætitia, ita damnum contingens cum mœrore in alterum redundat; ex quo facilè euenire potest, vt ad lucrum captandum, pro quo lætatur, & ad damnum fugiendum, quo incurrente, tristaretur, is præter iustum agat, ad quod Virgilij illud famosum accedat Aeneidos 4. *Quid non mortalia pectora cogis auri sacra fames?* habes per Albericū de Maletis in d. cap. 2. num. 21. Iustum Reuberum in parte 2. num. 194. Campegium in Reg. 88. in princip. & copiosè per Mascardum in conclusio. 1318. & quòd socij in amicitia quadam esse intelligantur, voluit Philosoph. polit. 4. cap. 11. dū inquit. *Nam societas amicabile quiddam est.*

124

125

Cæterùm si de particulari aliqua societate loquamur, illud per præallegatos Doctores probatū est, & alios in d. l. quoniam; quòd in re ipsa, in qua socij sunt, ratione iam dicta, improbetur testimoniū. Dummodò tamen † non sit aliqua incidens communio, vt plurium hæredum, & similium; quorum vlterius diuersa sit defensionis causa; de quo infra in indiuiduo dicetur, vel nisi ab Aduersario socius ipse productus sit; quo casu pro vtraq. parte absque reprobationis metu, veritatem explicare potest, vt in auth. sed iudex, C. de Episcop. & Clericis, in cap. fraternitatis, vbi Glosa, & Doctores de testibus, habes per D. de Franch. in decisio. 222. num. 7. alios concordantes allegatos per Farinacc. de opposition. contra personas testium quæst. 62. limitatio. 10. nu. 212. Striaticum in eius praxi cap. 16. num. 104. & cap. 5. num. 30. Nellum in tracta. de testibus num. 59. & alios allegatos per Brunorum in compendio iuris vtriusq. resolutorio, in verbo Testes licet per vnam partem, & per Campegium in d. Regula 88. in vers. quartò fallit. Vel denique fallit, † si vtriq. litigatori pari societate astrictus sit, vt per Mascardum in d. conclusio. 1318. num. 5. vbi, & nu. 6. quanta ipsis fides præstanda sit cognoscenti iudici dirimendum, ex his, quę proponerentur, voluit; vndè miratus sum cur id ipsum suo iudici arbitrariū, in eius refertissimo de arbitrarijs tractatu, Menochius non fecerit.

126

127

Quod

128 Quod verò de socio dictum est, ne dum in ciuili causa, sed etiam in criminali procedere exaudiendum est per prædicta, & habes per Campegium in Regula 86. in principio.

129 Quantum tamen ad causas criminales attinet, quia in eis, criminis societates versantur, cum, vt plurimum, non sine aliorũ conspiratione, & manu adiutrice delicta committantur; quanta propterea socij vnius contra alterum socium fides credenda sit, inquirendum duximus. Et pro

130 axiomate, † alterum in alterius perniciẽ non probare, satis iure suggeritur, vt in d. l. quoniam, & in l. vltima, C. de accusatio. & alijs adductis per Baldum in praxi, in Rub. quæstionum circa probationes quæstio. 23. sub num. 3. & per Gomesium in Tomo delictor. allegato cap. 12. num. 16. vbi vti hæc contra testem exceptio absq. criminis confessione allegari valeat, optimè perpendit, & habes per Cyrillum in praxi, in tit. qui accusare non possunt, Sū 17. nu. 2. Campegium in d. Reg. 86. Reuberum in d. secunda parte num. 99. Crottum parte 3. num. 94. & Ioannem de Platea in l. mulieres, in vers. item argumentum, C. de dignitat. lib. 12.

131 Intelligendo dictam maximam, vt procedat etiam in socio socium defendente, vt per Baldum in d. l. quoniam, & Moncadam post Crottum id deducentem, & exemplificantem in d. tertia parte n. 159. in littera H, & latissimè per Mascardum

132 in conclusion. 1317. in principio † ratio autem huius conclusionis ea esse potest, vel quia ex alterius inculpatione, & suggestione aliqua sibi facta, veniam se reportaturum contra deponens socius speret, aut si desperet, eundem, ex odio, & inimicitia eodem supplicio gaudeat periturum, vt in d. l. vltima, dicatq. cum Ouidiano illo Pænelopis

Et mea cum multis iuncta querela foret, vel alio consimili.

Solatium est miseris socios habere penates, vel

Quod pluribus contingit, nihil dolendum.

133 † & præsertim stãte socij inimicitia; quòd eius dictum indicium non faciat, habes optimè apud Nouellum in tracta. ad defensam in cap. an indicia pro Reo danda sint, num. 84. fol. mihi 64. & Iusium Reuberum in dicta secunda parte num. 102.

134 Hæc tamen maxima, & si aliquarum causarum priuilegio multoties intermissionem sortita sit, vt puta in crimine læsæ Maiestatis, vt in cap. 1. de confessis. Secundò in crimine hæresis, vt in cap. in fidei fauorem de hæreticis in sexto. Tertiò in crimine falsæ monetæ, vt in l. 1. C. de falsa moneta, Quartò in furto magno, & famoso, vt in l. prouinciarum, C. de ferijs. Quintò in crimine sacrilegij, vt in cap. qui autem 17. quæst. 4. & in cap. in primis 2. quæst. 1. Sextò in crimine assassinij, vt in l. Diuus, la seconda, ff. de custodia reorum, & in d. l. prouinciarum. Septimò in crimine conspirationis cõtra principem, vt in Glosa in cap. vltimo de testibus cogendis. Octauò in crimine maleficiorum, & Matamaticorum, vt in l. 1. C. de maleficijs, & matamaticis. Nonò, & vltimò in receptatione latronum, vt in pragmatica quinta, sub titulo de receptatoribus malefactor. & antea in cap. Regis Caroli incip. frequens, & ineffrenata, & cap. Regis Caroli Secundi incip. Constitutionem

135 Diuæ memoriæ, † licet plus sit in dicta pragmatica; quia confessiones duorum receptatorum, etiã quòd singulares sint, plenè probant ex illius dispositione; cum ex præcitatis capitulis tres requirerentur, vt ponderarunt Nouissimi in praxi cognitionum delictorum, in tit. de receptator. malefactor. in cap. de priuilegijs, & pænis dicti criminis num. 34. habes de omnibus per Mascardum in allegata cõclus. 1317. Gomesium in d. cap. 12. num. 16. Rolandum in consil. 31. vol. 3. & plenissimè per Farinacc. in tract. de indicijs, & Tortura quæst. 43. per totam, & per Glosam ordinariam in l. vltima, C. de accusation. in

136 verbo conscientia, † vbi, quòd socij interrogari possunt in omnibus criminibus, quæ sine comitiua commissa intelligi nõ possunt, aut quæ cum alijs fuisse commissa indicia monstrant, vt per Doctores in d. l. vltima.

137 Quantum tamen ad crimẽ læsæ Maiestatis

statis spectat, est animaduertendum non procedere supra positam conclusionem, vbi tractaretur de eo crimine commisso verbis, & non opere; Nam tunc non probarent, vt per Crauettam in consil. 9. num. 6. vbi rationem ponderat, & de antedictis habes per Baldum in praxi, in Rubr. quæstionum circa probationes in d. quæstio. 23. num. 3.

Quam autem in præmissis causis, & similibus alijs socii deponentes fidem faciant, vt videamus, consequēs est, & quia hanc ipsum rem, iustis penè voluminibus, Brunus, Mascardus, Farinacc. Blancus, & alii prosecuti sunt, vt vlteriori animaduersioni locus relictus non fuerit; propterea summatim hic rem perstringere contendemus. Nam, & si qui cuncta fundit, plurimo honore dignus sit, non tamen aspernandus in totum veniet, qui paucula pro sui industria multa diffusè tractata in pauca cogit, ac minus scitè componit. † Dicendum est ergò distinguendo. Quod aut quærimus, an socii dictum valeat ad inquirendum, an secundò ad informandum, an tertiò ad Torturam Indicium faciat. Et tunc considera, quòd aut loquimur in causis exceptuatis, videlicet criminis læsæ Maiestatis, hæresis, simoniæ, & aliis supra enarratis, in quibus posse socios interrogari, & fidem facere supra diximus, aut in aliis cæteris. Primo casu rursus distinguendum est; quòd aut socii dictum est nudum, & sic non aliundè adminiculatum, aut verò aliis adminiculis munitum. Primo itē casu, aut quærimus an nudum socii dictum faciat indicium ad inquirendum, an verò ad Torquendum, vel informandum, † & tunc dicendum, neque ad citationem conciendam, minusuè ad torturam inflingendam illud valere supra expositæ regulari conclusioni inhærendo, vt per Farinacc. in tract. de indicijs alleg. quæst. 43. nu. 147. cum pluribus sequentibus, quarè ad inquirendum tantū indicium facere consequēs est, iuxta innumeros allegatos per Farinacc. loco citato num. 127. & Crauettam in consil. 821. num. 4. Secundo verò casu proximæ principalis distinctionis, vbi illud adminiculatum est, rursus dicendum. † quod aut adminicula leuia depræhenduntur, & tunc ad informandū Reus citari poterit, † aut verò grauia, vtputa, si contra nominatum fama formiter concurrat, iuxta ea, quæ remissiuè supra notauimus Considerat. prima, in fine, & de principali conclusio. per Farinacc. ibidem num. 169. vel conuersatio, & amicitia, de stricta tamen, & satis intrinseca intelligendo, vt ibidem per eum num. 171. & 173. vel fuga, vt ibidem num. 170. vel inimicitia, vt num. 168. vel alter testis de auditu, vt num. 136. & sequenti, vel secreta collocutio, vt ibidem num. 175. & 176. & sic de similibus, & tunc aut socius confitens est nominati per eum inimicus, vel pluribus defectibus notatus; aut non. Primo casu, vbi inimicus sit, nullū ipsum indicium contra nominatum facere, indubitatum est, etiam in exceptuatis supra causis, iuxta multa in primis columnis deducta; & habes per Farinaccium ibidem num. 179. † Idem & si pluribus defectibus illum subiacere pateat, vtputa, quia fur, falsus, blasphemus in processu apparuerit. Benè tamen ad capiendam informationem eius dictum proderit, vt per Farinacc. ibidem num. 178. Surdum in consilio 151. num. 82. & Rolandum in consil. 57. vol. 4. Et maximè hoc esset attendendum, si per contrarium nominatus ab eo esset bonæ conditionis, & famæ, vt ibidem per Farinacc. num. 187. † quo casu nec si plures essent; socij aduersus eum aliquod indicium facerent, etiam iure capitulorum Regni inspecto, vt in d. cap. frequens, & capitulo incip. Diuæ memoriæ, vbi Niger num. 83. vel etiam hoc dicendum esset; † si nominatus prædictus fuisset ab offenso disculpatus, non communi, & suspecta illa disculpatione; quam passim sibi fieri delinquentes procurant; sed ea, quæ per nominationē alterius maleficij auctoris fit; vel si plus vltra fuisset nominatus per offensum vocatus in testē, iuxta plura allegata per Nigrum in allegato cap. frequens num. 78. vbi videas, quia per illa liberaui quendam ab imminenti tortura, respondentq; notata per Clarum

138 139 140 141 142 143 144

Clarum in §.fin.quæst.52. num.6. vbi,vt proximè dicebam,an illa exculpatio procurata fuerit, & in fraudem facta, an non, distinguit.

145 Et ad præmissa redeundo, in specie socij dictum non proderit, vbi is pluribus defectibus notatus sit in crimine receptationis malefactorum, iuxta supra allegatam pragmaticã, vt pulchrè deduxit Farinaccius loco citato idest de indicijs, & tortura in quæstio. 45. num. 122. quod notabis pro alicuius incauti hominis,seu Rustici defensione.

Vbi verò ad rem iterum redeundo in socio ipso nominante neque inimicitia, neque defectuum pluralitas adest; tunc sanè distinguendum est; quòd aut socij dictum in legitima tortura prodijt,& post eam, dato congruenti interuallo, extra torturæ locum fuit illud ratificatum, aut verò ex his vnum, vel omnia deficiunt.

146 Primo casu validum illud ad torturam iudicatum est, vt per Farinacc. loco citato num.134.138. & 177. & per eundem de oppositionibus contra personas testiũ quæst.79. num.83. & 84. Mascardum in conclusio.1317. num.38. faciunt notata per Baiardum ad Clarũ in §.fin.quæst. 25.in principio, & Hippolitum de Marsilijs in praxi criminalium causarum in §. diligenter num. 135.

147 † Aduertendo prætereа in hoc, quòd socius vti principalis quoad se, & testis quoad alios examinatus non potest pro legitimando dicto cõtra socium nominatum,vt testis torqueri; sed post defensiones, aut eorum termino decurso, datis insuper prius indiciorum copijs,vt per Baiardum ibidem num. 38. & eundem in quæstio 21.num.150.

148 † Alio verò casu clarum est non sufficere,nisi ad inquirendum tantum,iuxta præallegatos Doctores.

Denique in secundo membro principali primæ propositæ distinctionis,atque ita in causis non exceptuatis, & arduis, vti sunt prænominatæ,adhuc dicendum; quod aut Socij dictum non est alijs adminiculis suffultum,

149 † & tunc ad capiendam informationem tantummodò sufficiet,nõ item ad citandum; cum prætereа ad torturam illud non sufficere, sit indubitatũ.

150 † Aut verò aliquibus adminiculis suffultum; & tunc ad transmittendam inquisito citationem ad curiam informandum satis esse censum est,vt optime eo loci per multa Farinaccius ostendit à num. 27.vsque ad num. 31. ad torturam autem nequaquam quantumcumq. cum eo præsumptiones concurrant, vt per eundem ibidem num.127. & 152.

151 De hoc tamen postremo non parũ hodiè dubitare offertur, posito nunc; quòd de communi consuetudine Italiæ super omnibus suggestis criminibus confitentes Rei interrogari solent; & fortassè existentibus alijs adminiculis, intelligendo non leuibus; quòd tunc ad torturam possit deueniri; & ita frequentissimè faciunt Iudices in delictorum detectione grassantes,& eorundum publica vindicta. Dixi; quod non sint leuia; nam ex leuibus non posset, etiam in exceptuatis supra criminibus nisi ad concipiendam contra nominatum citationem deueniri; vt ibidem ex Claro in allegata quæstio. 21. deducere Farinaccius deprehenditur,& per totam suam additionem Baiardus prosequitur, vbi videas; & hæc laconicè de sociorum fide contra socios dicta sufficiant, nè laconicum nostrum institutum transcendere offendamur.

Sed libeat quæso in specie hic quantũ ad exceptuatum assassinij crimen, quòd mihi ab Illustri admodum, & Integerrimo Domino Didaco de Parescia olim in criminalibus causis in magna Curia Vicariæ iudice, nunc vero Regio Consiliario dignissimo,& ornatissimo discere contigit,laconicè item subscribere; dum hisce proximis diebus in hoc anno 1606. hic Capuæ,ita Deo mandante, & Nostro vigilantissimo,Illustrissimo,& Excellentissimo Domino Comite de Beneuento Prorege, ad maximorum scelerum expiationem se contulit. Fuerunt siquidem ex causa nec memorandi criminis plures leuis vitæ homines carceribus mancipati sibi corripiendi, & iudicandi traditi; ac inter cæteros aderat vnus de homicidio cum qualitate assassinij in personã cuiusdam

dam mulerculæ de nocte commisso inquisitus; aduersus quem vrgebant trium sociorum de pluribus furtis inquisitorũ depositiones, ac vnius mulieris supra habitationem occisæ habitantis, & alterius minoris dictæ testificantis mulieris filij; qui dixit se illum tempore commissi homicidij sibi obuiantem cognouisse. Et vbi is primum bis bonis verberibus correptus in negatiua perstitisset; ac speraretur ex quæstionum explicatione, si non confiteretur, vitæ eius salus; exiit vox, illum absque alijs tormentis, stante iuuenis virium robore, ex causa præfata, furcis suspensum iri. Super quo dum disceptari contingeret, suspicati primùm fuimus, dictum Dominum Regni allegato cap. frequens adductum hoc ipsum attētare velle; vndè ex multis conabamur Reum à pæna præfata immunem reddere; & signanter considerando; quòd cum d. capitis dispositio à communi iure deuiet, &, vt dicitur vulgo, exorbitans sit; vbi non omnes qualitates eius, seu requisita concurrerent; sibi in eo casu locum vindicare non poterat, iuxta vulgaria; vnde cum requirat, quòd sint confessiones trium latronum contra participes, vel eorum receptatores; non poterat ad casum nostrum trahi; nam licet latrones tres confessi fuissent contra eum, eamq. confessionem legitimè cõprobassent, vt supra ratificatione emissa; tamen dictus inquisitus non erat similiter de latronum numero, vel receptator. Quarè dum erat ad ius commune redeundum, ad conuellendas eorum confessiones, dicebamus, eos vti pluribus defectibus notatos, & ex processu apparentibus, non posse, ex supra allegatis, contra eum nec ad torturam concludere, stāte pariter aliorum testium in verisimili depositione. Subiungebatur præterea, quòd vbi is sine tormentis puniendus esset; quòd non deberet ordinaria suspendij pæna extingui, ex Innocentij doctrina in cap. quia verisimile de præsumptio. sed alia extraordinaria. Contra verò idem Dominus vti optimè, ita gratiosè plura allegauit in facto, & in iure ansam disputationis arripiens; ex quibus morti illum debere tradi insinuebat, arguendo de textu in cap. pro humani de homicidijs in sexto, dum ibi in affato crimine, indubitatis inditijs, pro probabilibus argumentis, existentibus, sine alio ad ordinariam pænam procedi, ex criminis immanitate, posse, cauetur expressim. Iuxta notata per Nouissimos, in cap. At si clerici de iudicijs, D. de Franchis in decis. 372. num. 2. & alios infra allegandos; quæ ipse Dominus, iuxta facti qualitatem metiendo, adesse apertè nimis asseuerabat, & præsertim quoad inductos testes, ex ipsa loci inspectione; quòd & tenere deprændebatur Antonius de Butrio ibi, & Couarr. in Clementi: si furiosus in relectionis secunda parte in initio num. 9. Bossius in tit. de conuictis num. 55. & sequentibus, Grammaticus in frequentissimè allegato voto nono, & faciunt quę copiosè dicere, & allegare aduertitur Mascardus in conclusio. 137. Nec tandem prætermisit allegare, hanc sententiam quotidiè sequi Magnam Curiam. Euenit tamen postea, re plenius digesta; vel quia correctiones fuissent magnæ, & tormenti spetiem protendissent, vel probabilius, quia inductas probationes pro indubitatis indicijs habere destiterit, vt illum quæstionibus subiecerit; sed quia in illis defecisset; tandem cum alijs quatuor, ad aliorum exemplum, furcis fuit suspensus.

Quò verò rem nostram vlterius deducamus, socijs primo loco memoratis, & Coloni accedere intelliguntur; † cum & similiter fructuum occasione, in societatẽ quandam cum fundorum Dominis incidant, quarè vti pro eis, attestantes, vel inuicem probent, non perperam hic duximus subnectendum. Quò tamen plenius discussio instructa prodeat. Illud antea in præuiæ inspectionis modum cõmone faciendum putauimus † colonos ipsos in multiplici discrimine versari; vel enim sunt; qui ascriptitio sub nomine compræhensi mercenario seruitio, & glebæ addicti permanebant. † quorum ea fuit conditio, vt liberè se ab ea addictione rethrare non valuerint, sed cum fundo ipso, cui addicti erant, alienabantur, vt in l. scimus, & in

152

153

154

& in l.cum satis,§.caueant,& in l.nè diutius,vbi Glosa C.de agricol.& censit,lib. 11. † Vel sunt partiarij ab ipsorum fructuum participatione, & cum fundorum Dominis communicatione, vel nummis colentes,aut sub certa fructuum pensione in annos singulos persoluenda;de quibus locuntur iura in l.si merces,§.ius maior, ff. locati,& in l.si seruus communis, §.locaui,ff.de furtis cum aliis cæteris.

155

156 Quantum ad olim obtinentes ascriptitios;quia seruorum nomine tenerentur, ac familiares censerentur pro Dominis inducti probare nó poterant,posito,quòd vti censiti alii testimonium dicere potuerint; atque in his procedere, & intelligi debere Glosatoris intentionem in cap. in litteris de testibus, in verbo familia, voluit Iunior Socinus in cons.135.sub num. 6. vol.2.ac refert, & sequitur Mascardus in eius conclusio.320.num.2.Idem Glosa in §. in testibus institut. de testament. cum qua communiter Doctores pertransire testatus est Lanfrancus in tracta. de testibus num.64.habes per Aufrerium in tract. de testibus in verbo Colonus num. 21. Campegium in Regula 14.& per postea visum Farinacc. de oppositio. contra personas testium quæst.55.inspectione 4. nu.214.vbi repugnantes adducit,& concordat num. 216. † ac tandem quòd Domestici illi intelligantur, quorum reprobatur testimonium, habes in l.pridem,C. de quæstio,& in l.præsenti, §.sanè, C. de his,qui ad ecclesias confugiunt,& sequitur Nepos de Monte Albano in tract. de testibus,num.13.

157

158 Quantum verò ad alios rursus distinguendum,quòd aut causa,in quam inducti,& examinati sunt,in agrorum fructibus,qui per eos excoluntur, consistit, & tunc,quia de eorum commodo, pro parte agitur,eos integros testes non esse, vti in propria causa attestãtes, clarissimum est; iuxta notata per Iunio. Curtium in consil.168. nu.15.& alios allegatos per Mascard.num. 6. & 9. Farinacc. in d. inspectio.4.num.220.& quæ generaliter contra quosuis interesse prætendentes in testes non admittendos notauit Brunorus in eius compendio in verbo Testes in eadem causa,per textum in cap.personas de testibus. † Aut verò de proprietate disseritur,seu de aliis,& tunc, cum per statũ Domus non dicantur Dominum attingere, ac minus eorum commodum aliquod intercedat;examinati ipsi benè probabũt, vt per Iunio. Socin. in d.consil.135.Mascardum, & Farinacc. in locis antedictis latè examinantes, & alios allegatos per Brunorum in compendio, in verbo Coloni partiarii.

159

160 Successiuè quantum ad venditorẽ spectat; cum secundum contractus naturam de euictione teneatur, si ab emptore super re ab ipso vendita molestato, aut modo quolibet conuento in testem perducatur; quia de eius incommodo agitur, ex quo emptori ad omne id, & quicquid condemnaretur, resarciendum cogi posset,non est propterea eius integrum testimonium, ex vulgata dispositione textus in l.nullus idoneus, ff. de testibus, & ibi per Glosam.

161 Quod ampliabis Tu primò, vt procedat,etiam si vẽditor esset,vt dicitur,vnus Rex; vt per Afflictum in cap. si duo homines num.3. in titulo,si de feudo fuerit controuersia inter Dominum, & Agnatum.

162 Secundò,& postremò amplia, etiam si simpliciter esset actum,quòd venditor nõ teneatur de euictione; cum adhuc ex pactione non obstante, ad eum obligatus censeatur; quòd, & si verissimum sit; limitaris tamen non procedere, vbi vltra verba illa,quòd non teneatur de euictione; † fuit additum,& dictum,nec ad pretii restitutionẽ aliquam, iuxta notata per D. de Franchis in decisio.239. nu. 3. per text. in l.emptorem,§.vltimo,ff. de actio. empti. habes de prædictis in l.eos,ff. finiũ regundo.& per Glosam in d.l.nullus idoneus, faciunt allegata per Aufrerium in tract.de testibus num.94.in verbo venditor,Imolam in consil.58.num.2.latissimè per Farinaccium de oppositíon. contra personas testium quæst. 60. illatione 11. & Iacobum Egidium in tract. de testibus num. 13.

163

164 Huic proximè fideiussores accedant, nã cum de eorum pariter cõmodo agant, vbi ij,pro quibus fideiusserunt,ab eorum creditoribus subtrahuntur, nequaquam idonei testes sunt, vt voluit Ioannes Andreas in additio. ad speculatorem in §. 1. in vers. quid de fideiussore, in titulo de 165 testibus. † Intelligendo quocunq. titulo ipsi fideiusserint, & sic etiam si duo Rei debendi efferantur, siuè principales soluendo sint, siuè non soluendo, vt voluit Albericus in tracta. de testibus num. 51. Lanfrancus in tract. similiter de testibus num.88.Campegius in Regula 73. Crottus parte 4. nu.97. & post eum per Moncadam num. 179. Mascardus de probatio. conclus. 784. nu.3.quicquid in contrarium iuerint Speculator loco citato, Nellus in tracta. de testibus num. 33. ac tandem post hos Farinaccius in d. quæst. 60. illation. 14. num.373.& 376. vbi in fine eiusmodi ampliationẽ à Doctoribus communiori calculo receptam protestatur,& habes per Aufrer. in tract.de recusat.num.15.

166 Præterea quantum ad Aduocatos, & Procuratores, de quota, vt dicitur, litis paciscentes attinet,eos integros testes nõ esse, indubium est; cum ex præconcepta affectione, veluti in propria causa testificari exaudiantur, iuxta iura in l.vltima, ff.de testibus, & in cap. si testes omnes,§. si testes, quos 4.quæst.3. & tantò magis 167 repellendi sunt,† quòd iure improbatum factum admittere non erubescant, ac nobilissimum, simulq. vtilissimum in Republica patrocinationis munus destruant; iuxta allegata per Cassan.in consil.64.n. 38.cum duobus sequentibus,& totum titulum,C. de aduocatis diuers. iudi. præsertim eiusmodi de quota litis pactũ admittendo;quòd vti improbatissimum,varijs modis coercere prudentissimi Legislatores non destiterunt, vt in l. salarium, ff.mandati,in l.si remunerandi,§.Maurus Paulus,ff.de postulando, l.1.§.Aduocatos,& in l.quisquis de varijs, & extraordinar.cognitio.& in l. si quis,& sequenti, C.d.tit.de aduocat.diuers.iudi. habes latè per Caualcanum in decis.41.nu.40.& 43. † Idem sanè dicendum est, si non ex- 168 pressim de quota prædicta pacti sint, sed certum quid, pro palmario ipsis fuerit ex promissum; Nam ad illud currentes tanta affectione excæcantur, vt modis omnibus,&,vt dicitur, per fas,& nefas, omni legum honestate prostrata,& muneris dignitate,ad victoriam hanelent, & hanelantes decurrant; vt meritò hoc ipsum experientia commostrante † annis retrò de- 169 cursis,fuerit districtius per Regiam pragmaticam expurgatum per Ducẽ Ossunæ Proregem,vt in pragmatica 19.inter ẽditas per Eum, quæ incipit. *Essendo peruenut'à nostra notitia*, & antea in pragmat. 21. in tit. de officio S. R. Concilij, vbi, & de antecedenti Regni constitutione memoratur,incipiente Aduocatos. Et sanè antiquas Regni dispositiones,ex Hispanesi lege nouissimè fuisse confirmatas credo; cum idem ea dispositum legatur in recõpilationis 2. parte lib. 2. l.8. in titulo 16. de los Aduocados. Et meritò quidem eiusmodi prohibitio renouata est; quia per pactiones huiusmodi legibus præfatis dictum de quota litis pactũ prohibentibus fraudem facere dicti tempori Aduocati dignoscerentur; cum dicatur in pragmatica *simili promesse*, iuxta plenè deducta per Alexãd. in l.litem,C.de procurat. Dinum in eius singul.17. & De Franchis in decis.205.incip. Aduocatus; & de antedictis per Aufrer. de reprobat. testium in verbo adhærentes num.8.

Sed de malis Aduocatis quid suo tempore Plato sẽserit,pro Coronide nec reticere voluimus, † is enim de legibus Dia- 170 logo 11. sic inquit. *Hæc siuè ars, siuè artis quædam exercitatio expers sit, danda opera est,nè in nostra Ciuitate aditum habeat,sed legum verita conditor[illegible] nihil aduersus leges proferat,[illegible] profecta vires suas ostendat; si quis verò non pareat,hac lege deterreatur. Si quis iustitiæ vires in animis iudicum in contrarium vertere conetur; ac præter opportunitatem multa litigia moueat,aut mouentibus adsit,agat in eum,quicunque voluerit,& deindè, & si damnatus fuerit, discutiatur, vtrum auaritia, an ambitiosa quadam contentione*

tione id fecerit; ac si contentione, certum ipsi iudices tempus præscribant, in quo neque pro se, neque pro alio nullam agat, dicatuè causam. Sin autem auaritia; peregrinus quidem à Regione, nũquam rediturus abito, & si redierit moriturus. Ciuis autem si auaritia id fecisse deprahendatur, quoniam pecuniam tanti fecerit, omnino moriatur; quòd si ambitiosa contentione bis tale quid fecisse iudicatus fuerit, idipsum iudicium subeat. ò vtinam tale quid hodiè obtineret, fortassè insatiabilis multorum ingluuies, & interminata superbia aliquo pacto mitesceret. Sanè ex malorum Aduocatorum caterua lites excrescere pluribus ostendi tùm rationibus, cùm exemplis in tract. de Iudice Regni Dialogo 2. vbi videndũ. † Sed quòd Aduocati nec lite finita in testes admittendi sint, prosequitur Surdus in decisio. Mantuana 19. num. 1. & 3. & de eorum officio, vide plura per Roland. in consil. 36. vol. 3.

171

His homines de vniuersitate subnectantur, quorum interdum quemadmodũ debile testimonium intelligatur, breuiter, & summatim inquiramus; quod ipsum duorum capitum propositione præstare liceat. quorum alterum est; An pro vniuersitate ij in testes admittendi sint; Alterum verò, in casu, quo induci possunt, quam fidem facere intelligantur.

172 Circa primum illa probata est communis distinctio, quòd aut quæstio est de rè vniuersitatis, quæ vsu, & vtilitate, ad vniuersitatem spectat, & tunc quòd testimonium dicere nequaquam ipsi prohibendi sint. Aut de re, cuius vtilitas singulos respicit, & tunc è contra; quia de eorum commodo, ad quod non modica affectione subleuantur, disseritur, vndè tanquam à propria causa repelli dicuntur, ex vulgata l. nullus, ff. de testibus, & per Bartol. & Doctores in l. in tantum, §. vniuersitatis, ff. de rerũ diuisio. & in l. sed si hac, §. manumittitur, ff. de in ius vocãdo, Tiraquellũ in tract. res inter alios acta col. 3. Bartholomæum de Capua in singul. 4. & & ibi post eum, Baldum in vulgata l. parentes in fine, C. de testibus; eundem in consil. 420. & 438. vol. 1. Capicium in decisio. 152. Afflictum in decisio. 400. Menoch. de arbitrarijs casu 106. num. 4. D. de Franchis in decis. 301. num. 3. Felin. in cap. insuper de testibus, allegatos per Mascard. in conclus. 318. & alios innumeros per Farinacc. comportatos in quæst. allegata 60. illatione 17. nu. 495. quibus addo alios allegatos per Brunorum in compendio in verbo, homines de vniuersitate, & D. Ozasci in decis. Pedemont. 99. num. 39.

Et quantum ad primum membrum allatæ distinctionis spectat, facit, † quòd procurator constitutus ab vniuersitate, vel collegio, non admittitur pro singulari persona vniuersitatis, vel collegij, vt in l. sicut §. si quis, ff. quod cuiusq. vniuersit. nomine; † & compromissum vniuersitatis non dicitur singulorum, vt per Socinum in consil. 95. vol. 3. Nec lis vniuersitatis dicitur lis singulorum, iuxta notata per Raudensem in tracta. de analogis cap. 39. num. 20. † & vniuersitatis debitum, non dicitur esse eorundem, vt in d. l. sicut, §. 1. & Afflictum loco citato num. 2. Vndè est, quòd † Monachi in causa monasterij benè admittuntur, vt per Afflictum ibidem, & Baldum in consil. 168. vol. 2.

173

174

175

176

177 Quòd tamen de hominibus vniuersitatis dictum est, intelligi sanè debet; dummodò ex causæ iactura, pro reparatione, vel in futurum pro alijs occurrentibus in vniuersitate necessitatibus, non sit ad collectas à singularibus exigendas deueniendum, vt per Felinum in allegato cap. insuper, & Farinac. loco citato n. 505. & 532. vbi plures allegat, & Afflictum loco citato; hoc enim casu ad singulos lis in consequentiam pertinere diceretur, vti, & cũ de nemoribus, & cõmunibus pascuis agitur; in quibus ius ipsi pascendi eorũ propria animalia, vel lignandi præseferunt, vt per Farinacc. loco citato num. 101. secus verò, vbi locantur, & prouenieris pecunia in vniuersitatis arca seruatur, vt hic Capuæ de fructibus Castri Maris Vulturni fit, vt per Felinum in d. cap. insuper, & Afflictum in allegata decis. 400.

& alios cumulatos per Farinacc. in d. quæst.60.num.502.& de Molendino nu. 500. Illo insuper addito, quòd eo casu, quo admittuntur, non est inter vniuersitatem Ecclesiasticam, & secularē in proposito distinguendum, vt per Felinum in d.cap.insuper, & latè prosequitur Farinacc. eò loci num.451.& 452.

178 Quantum ad secundum, adhuc dicendum breuiter est; quòd aut sumus in his, quæ ab aliis, quàm ab hominibus vniuersitatis, vel collegii resciri non possunt, vt sunt quæcunq. in conciliis, congregationibus, & conuentibus tractantur electiones, & similia, aut verò in aliis, quæ aliis passim nota esse possunt.

Primo casu, quia etiam inhabiles in his, in quibus veritas aliter haberi non potest, admittūtur, dicendum est eos plenè probare, ac omni exceptione maiores testes esse, iuxta plura cōsiderata per Farinacc. in d.illatione 17.nu.479.& 539. & quoad secūdum habes in textu in cap. 3. loco de probatio. & per eundem Farinacc.ibidem num.480.

179 Secūdo verò casu non sunt omni exceptione maiores credēdi, & sic duo nō plenè probare intelligūtur, cum eorum vnus semiplenam non faciat, vt per Panormit. in d.cap. insuper, & Farinacc. ibidem nu. 536. vbi magis receptam doctorum sententiam esse testatur, num.538. † Suppleri tamen eorum defectum posse ratione adiunctorum, qui fide digni noscerentur, vel ex inductorum numero, vbi non de eorum singulari commodo agitur, vide apud eundem latè considerantem ibidem num. 540. & aliis ad finem sequentibus.

180

181 Tandem dimissis cæteris, his illi conueniunt, qui consimilem causam protendunt, nam, & ipsi, quia ex eiusmodi causæ victoria aliquod commodū sperare præsumuntur; propterea non sunt probandi attestari volentes, iuxta textum in d. cap. personas, ibi *Consimili morbo laborantes*. de testibus, sequitur declarando, Lanfrancus ad cap. quoniam contra de probatio. in verbo Testium depositiones num. 72. & plenè per Mascardum in conclus. 1357.num.54.& Farinacc. nouissimè in vulgata quæst.60. num.41. vbi communiter hoc per Doctores teneri attestatur, † restringendo tamen, & limitando eandem, vt non procedat, si nullum intercedat vtilitatis, aut honoris commodum; vel si intercedat quidem, fuerit ei per testificari volentem renunciatum, vt per Lanfrancum loco citato, Mascardum ibidem num. 57. & Farinacc. ibidem à num. 42. vsque ad 45. & num.51. † vbi de testibus de vsura cum ipsis facta attestantibus loquitur, quòd videlicet ipsi probant, si repetitioni solutarum vsurarum renunciauerint, de quo nos habemus pragmaticā sub titulo de vsurarijs, vbi videas, & habes per Rolandum in consil. 95. num.14. vbi multos allegat, & consil.98. num.4. & hæc de his dicta sufficiant, nam pro similibus cæteris ad libitum satis refertos aliorum tractatus adire poteris.

182

183

Consequenter, quantum ad alteram amicitiæ speciem, quæ in mera vtilitate consistit, absolutè ex alterius mera liberalitate descendentē famulos hic, cæterosq; commensales annumerare, aut alios quouis modo in necessarijs adiutos offertur, quos Bursales amicos appellauit Ripa in l.admonendi, ff. de iure iurando nu.177. † & quantum ad famulos attinet, eos non benè pro Dominis probare, ratione subiectionis, & præsumptæ nimium affectionis, non est dubitandum, prout de omnibus in vniuersum sunt iura in l.vltima, C.de his, qui ad Ecclesias confugiunt, & in l. instrumenta, C.de probatio. & in d.l. pridē, C. de quæstioni. & in l.penult. C. de testibus, & alijs innumeris allegatis per Mascard. in conclusio. 534. col. 1. Gabriellium de testibus conclusio. 10. Florian.in l.testes, ff.de testibus, Gammam in decis. 287. num. 2.Ripam in Responso 201. nu. 8. & plenissime per Farinacc. in vulgata quæstio. 55. inspectio.2. num. 136. † Intelligendo siuè hi salariati sint, siuè non salariati, sed pro expensis, & vestitu seruiant, vt per Felinum in cap. in litteris de testibus in principio, Gabriellium in d.conclusio. 10. num. 7. & Mascard. in conclusio. 758. num. 7. cum alijs nouissimè cumulatis per Farinacc. loco citato num.

184

185

139. & de salariatis habes per multos allegatos per Brunorum in compendio in verbo, Homo liber mercede conuenta.

186 Intelligendo siuè deponant de contingentibus tempore, quo famuli sunt, siuè de alijs ante famulatum; vt per Felin. in d.cap.in litteris num. 10. & Farinacc.ibidem num. 137. & hoc ea ratione, quia, vt diximus, tẽpore depositionis affectio obtinens, seu affectionis causa spectatur. Vndè, & illa pariter descendit probata conclusio, † quòd si famulus à seruitijs omnino recesserit; nisi aliud impediat, benè probabit, iuxta allegata per Mascard. in d.conclusio.534.num.11.& Farinacc.d. inspectio. 2. num. 145. Dixi omnimodò recesserit, † non enim sufficeret quòd licẽtiatus fuerit, sed domi permaneret, donec alium Dominum reperiret. Nec etiã sufficit, quòd per malitiam recesserit, & sic recessus fuerit ad hoc procuratus, vt per Mascard. loco citato num. 13. & 14. Campeg.in Reg.13.vers.fallit 1. Gomes. in d.cap.12. num.21. circa medium, habes per Bald. in d.cap. in litteris, & Farinacc. ibidem num. 150. & sequentibus, & videas Surdum in decis. 219. num. 4. In omnibus tamen plurimi valere iudicantis arbitrium, non est, qui dubitet.

187

188

189 Quantum rursus ad commensales, qui, vt dicitur, de aliorũ pane, & vino viuunt, quia domesticorum nomine veniunt; ac depastus venter nimium affectionis in depascentem inducit; propterea satis receptum est, eorum non probari testimoniũ, vt per Baldũ in d.cap. in litteris, per text. in §.cogitandum in auth. de monachis, & in summa, quantum ad Domesticos attinet, † eorum in numero omnes venire intelligendi sunt, qui aliquem per Domus statum pertingunt quouis modo. Domus enim dicitur plurium in loco vno habitatio ad vnius patrisfamilias seruitium ordinata, & sic in vniuersum ex tribus constare creditur, videlicet ex præsidente, subiacente, & ministrante, vt per Florianum in l. testes num. 2. ff. de testibus, & per Philosoph.politicor. 1. cap. 3. quare quouis modo ministrent, aut subiaceant, qui inducti sunt, non probantur attestantes, & de commẽsalibus antedictis habes per Mascard. in d. conclusio. 534. num.7.& Farinacc.in d.quæst.55.inspectio. 1. nu 9.

190

191 Illo tamẽ pro Coronide adiectum volumus, quòd vbi æquè domestico sunt, qui examinati sunt, vel si simus in casibus, in quibus veritas aliter haberi non potest, vel si ad defensionem inducti fuerint; benè pro iudicantis arbitrio, fidem facient, iuxta suprascripta, & prosequitur Mascardus in d.conclusio. 534. num. 15. 16. & 17. & alijs sequentibus, & conclusio. 26. Farinacc. in allegata quæstio. 55. inspection. 1. per totam, Amanellum in singul. 114. & Bartholomæum de Capua in singula. 57.

Quantum verò ad vltimam amicitiæ spetiem, quæ in iucundo posita est, ea fermè, & suas obseruationes in hac ipsa re sortita est; vt meritò propterea singulariter de ea agendum locò offeratur, & in summa; Ita breuiter distinguendo, dici potest; † quòd aut in simplici, & licita voluptate amicitia posita est, secundum quã multi placida quadam in certis conuentibus, sermonum vice, & iocorum tractatione, prætiosa temporum interualla consumunt † & tunc quia leuis creditur amicitia, nisi alio impediatur, inter bonæ integræuè, ac communis vitæ homines cognoscens iudex distinguere poterit, vt plus, vel minus de eorum fide detrahat, non tamen repelli poterunt, iuxta notata per Speculat. in §. 1. de testibus in principio, Mascard. in conclusio. 86. vbi de communi attestantes memorat, & latissimè per Farinacc. in d. quæst.55. inspect. 5. num. 240. 241. & 242. vt meritò tanquam non omni exceptione maiorem eorum aliquem ad suppletorium non sufficere, assequaris, de quo dic, vt infra in secunda parte.

192

193 Si verò in illicita, & parum honesta, nè dicam in effreni illa voluptate consistat, vti ea est, quæ inter amasios, & amasias obtinet, inter eosdem, eorundemq. Lenones, & alios stupris, adulterijs, vel fornicationibus locos, & alia similia subministrantes, eorum improbatissimum testimonium esse, non est qui ignoret, † si præ-

194

præpotentis ignis, qui in his accendi solet, potentiam agnoſcat. Cui vel hac vna medicina occurri poſſe, perſpectum eſt; vt multum de ſuo concedendo, tùm corporis, tùm animæ, pro ruina, quam incurrunt, releuamen aſſequi, ſui immemores miſerrimè putent; iuxta Ouidianum illud. *Heu nullis amor medicabilis herbis.* Quale enim animi iudicium in his exiges immerſis, qui nulla pro ratione, ſed brutali more ruere conſpiciuntur? Iuxta Vergilianum illud.

Vſque adeò genus in terris, hominumq. ferumq.
Et genus æquoreum, pecudes, pictæq. volucres,
In furias, ignemq. ruunt amor omnibus idem.

Sed quid præterea ſperandum ab homine libidini mancipato, & voluptatibus ſeruienti? cum non aliæ eius partes dignoſcãtur, quam in eius amatam ſibi iucundiſſimam efficiendo? Quidue ab ea amicitia, quæ non beneuolentia aliqua, ſed auiditate quadam expletionis, quaſi fame conſtat? vt apud Platonem in Phedro, habes de prædictis per Maſcard. in d.concluſ 86.num.17. & ſequentibus, & optimè per Moncadam apud Crottum in quarta parte in verſic. Verior num. 129. vbi videas. Ita pariter, & de alijs cuiuſuis peſſimæ conuerſationis dicendum eſt, cum inter eos non amicitiam conſiſtere, ſed dolos, fraudes, & cõſpirationes, optimè expertus Gloſator notauit, ſeu, vt ego ex Cicerone, ſentio, temporarias quaſdã coniurationes; Gloſator inquam in l. latè, §. amicos, ff. de verbo. & rerum ſignificat. vt meritò proindè in tàm vaſta cauſarum diuerſitate, quæ in ineundis amicitijs verſatur, † Illud multis placitum ſit, quòd in caſu, quo teſtes, vel ratione domeſticitatis, vel amicitiæ reprobandi veniunt, quòd domeſticitatis, vel amicitiæ cauſa deducenda, & probanda ſit; vt ea videlicet attenta, quanta teſtibus fides adhibenda ſit, iudicanti perſpicuum eſſe poſſit, vt habes optimè apud Crottum, per Moncadam in d.4.parte num. 134. & alios allegatos per Farinacc. in d. inſpectione 5. num. 253. † Neque verò omninò ſuperfluum exiſtimandum eſt, ſi teſtes cum producente communiter amicos reputari, quis deducat; ac probet, vt de inimicitijs ſupra deduximus; ad quod illud Philoſophi 2. Rethoric. præcitato cap. 7. induci poteſt, dum inquit. *Putantur enim amici eſſe, qui ſic ſe ad inuitem habere putantur.*

195 196

Quanta verò amicis fides adhibenda ſit deponentibus, tùm ex partis opponentis induſtria, circa oppoſitionem contra teſtes faciendam, in conſiderando præterea an commodum aliquod pro eo intercedat, nec ne? an æqualis ſubſiſtat pro vtroq. litigante amicitia, an inſtrumento ſcienter adhibiti fuerint, & alijs ſimilibus, iudicantes aſſequi poterunt; † nam quantum ad oppoſitionem, ſi ea omiſſa à parte præſente fuerit, amico examinato maior fides adhiberi poterit, vt per Gloſſam, & Doctores in vulgata l. ſi quis teſtibus, C. de teſtibus, & habes per Maſcard. in allegata conclubo. 86. num. 22. & Farinacc. in d. inſpectio. 5. num. 248. in d. quæſt. 55. † Item benè probabit, ſi nullum intercedat amici commodum, vt puta ſi pro amico venditore deponeret, qui iuxta ſupra ſcripta, de euictione non teneretur, vt per Maſcard. ibidem num. 21. & Farinacc. in allegata inſpect. 5. nu. 244. ſed tu conſiderabis an congruat. † Idem ſi vtriq. amicus efferatur, vt per Maſcard. in d. concl. 86. n. 7. & cõcluſ. 26. n. 5. Farinacc. ibidẽ nu. 250. † Item ſi inſtrumento ſcienter adhibiti illi fuerint, quia ex hoc ſatis approbati intelligerentur, iuxta notata in l. ſcripturas, C. qui potiores in pignor. habeant: & habes per Nellum in tract. de teſtibus num. 6. & diximus ſupra; dum de conſanguineis, & affinibus verba fecimus.

197 198 199 200 201

Idem deniq. ſi cum eo alij integræ fidei teſtes depoſuerint, vel plures duobus vel tribus amici inducti fuerint; quia tũc, vel ratione adiuncti, vel excedentis numeri dictum eorum inuicem validatur; in cauſa tamen intelligendo, quæ ardua non ſit, iuxta allegata per Maſcard. ibidem num. 10. & Farinacc. in d. inſpect. 5. num.

202

num.246,& 247. vbi quod hoc, quod dictum est, procedat in leui amicitia, † non autem in maxima, quæ intima dicitur, subicit; quia illa in totum repellat, & habes per Guidonem Papam in singul. 748. incip. intimus amicus.

203

104 Successiuè hic de innumeris alijs subici posset; vt de vxore quoad virum, & è contra, de subdito, & vassallo, quoad Dominum, de sollicitatore quoad causæ principalem, de mercenario, seu operario quoad conducentem, de debitore quoad creditorem, & similibus. Tamen quia quæ dicta sunt, etiam nostrum excedere institutum rati sumus, pro eis, & similibus cæteris, per Mascardum, Farinacciū, & alios scripta adeunda sunt. Et ex his huic quartæ considerationi finis præscribatur, nam proposita in initio alia sequenti in consideratione, quatenus res ipsa exigit, ad Dei laudem, explicationem habebunt.

CONSIDERATIONIS QVINTAE

RERVM SVMMAE.

1 *Repulsa quandoq. ex interrogatoriorum propositione, & responsione fit.*
2 *Interrogatoria quibus comparētur.*
3 *Interrogatoria vti mendacium, ita veritatem detegunt.*
4 *Interrogatoriorum vsus necessarius.*
5 *Quæ de interrogatorijs differenda sint proponuntur.*
6 *Interrogatoria in multis ab articulis differunt.*
7 *Interrogatoria vndè formentur.*
8 *Pro formandis interrogatorijs articulorum copia edenda.*
9 *Ad articulorum editionem, quo ordine procedatur.*
10 *Forma concessionis copiæ articulorum quæ sit.*
11 *Interrogatoria, & contra personas, & contra dicta fiunt.*
12 *Etiam testium nomina edenda sunt.*
13 *Alterum inter articulos, & interrogatoria discrimen notatur.*
14 *Testes sub eodem iuramento, quo deposuerunt, interrogantur.*
15 *Sedes interrogatoriorum plures referuntur.*
16 *Interrogatoria per iudicem dari, vel suppleri possunt.*
17 *Plura alia interrogatoriorum loca exponuntur.*
18 *Quibus interrogatorijs testes respondere teneantur.*
19 *Interrogatoriorum tria genera referuntur.*
20 *Interrogatoria substantialia quæ.*
21 *Deponens super velleiano potest interrogari, quid illud sit.*
22 *Non tamen cogitur respondere per definitionem iuris.*
23 *Etiam si pars se ad illud restrinxisset.*
24 *Fallit in legum Doctoribus.*
25 *Interrogatio de causa scientiæ substantialis est.*
26 *Ratio in teste quando bona censeatur.*
27 *Oculus, & auris ad quæ dirigantur.*
28 *Quæsito cui quis in examine respondit, non tenetur iterum respondere.*
29 *Fallit in teste suspecto.*
30 *Interrogatoria non substantialia quæ.*
31 *Interrogatoria coherentialia quæ sint.*
32 *Singulares testes qui non probent.*
33 *Testes non deponentes de tempore quibus*

quibus casibus suspecti fiant.

34 De loco loci, & hora actus non formanda interrogatoria.

35 Fallit vbi quis se ad horam restrinxisset.

36 Adminiculatiua interrogatoria iure probantur.

37 Interrogatoria inutilia, & cauillosa non admittenda.

38 Testes cauillosis interrogatorijs omissis respondere non tenentur.

39 Fallit in testibus suspectis.

40 De credulitate quo casu testes interrogari possint.

41 Interrogatorium captiosum quale.

42 An formatum, & plenum dictum testis per responsionem de credulitate oblato interrogatorio factam corruat.

43 Quod firmum permaneat, ex Baldi sententia.

44 Impertinentia interrogatoria duplicia sunt.

45 Impertinentia sunt, quæ nouum capitulum continent.

46 Item impertinentia creduntur, quæ testium crimina protendunt.

47 Non solum si crimina occulta sint, sed etiam si manifesta.

48 Etiam quòd per sententiam de eis constaret.

49 Testem posse de omnibus interrogari, quæ eum inhabilem reddunt, vti intelligendum sit.

50 Alia plura interrogatoriorum loca referuntur.

51 Sibi imputet, qui criminosis interrogationibus respondet.

52 Fallit in interrogatorijs, quæ dantur à iudice; nam respondere coguntur.

53 Aduocatum de quibus iudex contra suum clientulum interrogare non possit.

54 Principalis de suis, & testium criminibus interrogari potest.

55 Interrogatoria in dubio pertinentia iudicanda sunt.

56 Veritatis conditio quæ sit.

57 Impertinentium interrogatoriorum discussio per solum iudicem facienda est.

58 Impertinentium interrogatoriorum discussio, vti illa articulorum in aliud tempus reseruari nō potest.

59 Interrogatoriorum vsus partibus voluntarius.

60 Super propositis interrogatorijs omnino testes interrogandi sunt, alias non probant.

61 Testes non interrogati in quacunq. iudicij parte interrogari possunt.

62 Interrogatoria in tribunalibus Neapolitanis non dantur, & cur.

63 Terminus ad formandum interrogatoria si negetur, examen factum nulliter procederet.

64 Pars, cum testes interrogantur, præsens esse potest.

65 Testes dum super articulis examinantur, nulla partium præsens esse potest.

66 Interrogatus an amicus, cum verè sit, & negare audeat, an probet, quæritur.

67 Falsi tamen pœna non tenetur, & qua teneatur.

68 Amicitiam mentitus pœna stellionatus coerceri potest.

69 Amicum se attestās, prout cum alijs communiter, quam fidem faciat.

70 Amicum se dicens reuerentialem, & vt vulgo dicitur, di barretta, an probet.

71 Quid si dixerit se paratum sanguinem effundere quā fidem faciat.

72 Quid si dicat se desiderare in ea causa victoriam pro producente.

73 Quid si dixerit se à parte producente instructum fuisse?

74 Vno in interrogatorio de duobus interrogatus, si in vno tātum negatiuè respondeat, vti quoad alterum respondisse intelligatur?

75 Multo post tempore examinatus testis; si interrogetur an sit amicus, & quòd sic respondeat, an sibi præiudicet?

76 Generalis obiectus quòd sunt amici testes examinati non sufficit.

sed quod tempore depositionis fuerint, requiritur.

77 *Reo in criminalibus non dantur interrogatoria; quia repulsam suo loco habet.*

78 *Reus de iure communi interrogare poterat.*

79 *Accusator non potest formare interrogatoria testibus ad defensioni inducendis, & quid facere possit.*

80 *In causis possessorij summarijssimi interrogatoria, vti, & Repulsa, cessant.*

DE REPVLSA
ET REPVLSA REPVLSAE
PRIMAE PARTIS.
CONSIDERATIO QVINTA.

QVEMADMODVM EX IPSISMET TESTIBVS PRODVctis studiosa alterius partis interrogatoriorum propositione, Repulsa descendat; quo ipsa ordine, quouè iure regatur, vniuersa cum interrogatoriorum structura satis, industrièq. perfertur.

1 AT nunc, vt memores nostrũ institutũ prosequamur; quia interdum euenit, vt litigantes ipsi, antequàm peculiarem ad reprobandum dilationem petant,& assequantur, studiosam aliquam interrogationem examinandis testibus proponant; Vndè non secus, ac ex principalium examine euenire solet, ipsi ab obiectuum structura,eorundemq. comprobatione releuentur; dum interrogati testes, quæ pandi ab Aduersarijs desiderantur, enixè declarant. Propterea quemadmodum in eis procedendum sit, ad alia progressuri breuibus duximus discutiendum.

2 Et primò rem ipsam aggrediendo, cõsiderare licet, interrogatoria sculptorum instrumentis æquiparari,ac veritatis scalpra censeri. Nam vti sculptores ad viuum scalpris, & ad vltima vsque lineamenta præconceptam in marmore formam toties demendo, excudunt. 3 † ita,& partes viciſſim testes per varia quæsita interrogari faciendo,negocium, de quo agitur, expungentia, veritatem sectantur, ac in ipsorum iniuriam conceptum fortassè mendacium longè detegunt, iudicantiq. demonstrant, vt per Andream Gayl. in eius obseruatio.camerali 95. nu.3.lib.1. vt primo loco interrogatoriorum vsum non solum commendabilem,† sed & quã 4 maximè ad veritatis inquisitionem necessarium,& ob id,satis,superq. iure probatum assequaris, iuxta textum in vulgato cap. præsentium,& ibi per Glosam, & Doctores,Butrium in cap. per tuas,vbi Ancharanus num.3.& 5. de testibus, & alios relatos per Farinacc. de opposition. contra examen quæst.73.num.2.

5 Rursus quò in eorum laconica prosecutione ordinatè, vt moris est, procedamus; eam Tibi ad illa currenti Cathegoriam proponere studuimus; vt primò videamus quemadmodum ab articulis, & positionibus interrogatoria distinguãtur.

Secundò,vti ad eorum conceptionem, & propositionem procedendum sit.

Tertiò super quibus ea formanda sint, vt illis inducendi testes, iuris necessitate respondere teneantur.

Quartò; cuius qualitatis ea esse oporteat, ac vti ad eorum discussionem procedatur.

Quintò, quanti sit contra extructum examen super eis intermissa interrogatio.

Sextò,& postremò multa dubia subnectentur, ex quorum dissolutione quãtum ex eorum met confessione testibus fidei detrahatur, liquidè apparebit, vt meritò vlterius aliquid hic pro nostri alioquin angusti instituti ratione, efflagitare non valeas.

6 Quantum ad primum distingui ab articulis interrogatoria in multis planissimum est,& primò quia super articulis testes examinantur, & principales pariter per verbum credo,& nõ credo, iuxta Regiæ pragmaticæ vulgatam dispositionẽ. Super interrogatorijs verò tantummodo testes interrogantur. In articulis quidem vt se inuicem principales ab onere probandi releuent quoad totam causam, vel aliquem eius articulum; In interrogatorijs verò, vt testium dicta debilitentur, vel vt pro eis testes respondentes proficiant, de alijs verò differentijs dic, vt passim in subsequentibus capitibus, iuxta occurrentes in eis materias subijcitur.

7 Quantũ ad secundum illud probatum est, interrogatoria ipsa ex alterius partis articulis deducenda, & formanda esse, vt per Butrium in cap. cum causam de testibus num. 17. alioquin, si extra articulos formarentur, resecanda illa venirent, prout latius infra in quarto capite differetur. Vndè, & ea descendit conclusio, 8 † quòd ad effectum formandorum interrogatoriorum alterius partis articulorũ copia peti potest,& petita cõcedi debet, vt voluit Speculator in S.iam de interrogatorijs in titulo, de teste num. 3. Maranta in Speculi sexta parte de interrogatoriorum productione, Doctores in d. cap. per tuas. Gayll. in d. obseruat. 95. nu. 6. & per Menoch. de arbitrarijs iudicum casu 175. num. 2.

9 Nè tamen ex eorum inspectione testium corruptioni,& subornationi aditus aperiatur, non aliter eorum copia assignari decernitur; quam per petentẽ formatis, seu formandis articulis præsentatis, seu illis non fuerit renunciatum, ac super petitis articulis prius non se examinauerit, seruata forma, de qua supra; quibus omnibus adimpletis, ne dum copia decernitur, sed,& breuis adhuc terminus præfigitur ad formandum, & præsentandum ipsa interrogatoria; prout ex satis recepta super hoc ipso decreti formula elicere est; quæ in hoc themà concepta perfertur, dicitur enim in eo: 10 † *quòd dicta pars in biduo præsentet suas exceptiones, vel illis renũciet, & in eodem termino deponat, vt principalis super articulis præsentatis, quibus adimpletis concedatur petita copia cũ termino alterius diei ad formandum, & præsentandum interrogatoria, & interim terminus non currat, quo termino elapso recipiantur testes in termino citati*, & habes per Albericum de testibus cap. 8. num. 3.

11 Et quia non solum ad dicendorum per testes impugnationẽ, interrogatoria ipsa diriguntur, sed ad eorundem etiam personarum redargutionem, per variorum criminum,& diuersarum spetierum inhabilitatis obiectum; propterea non solum, quam diximus, articulorum copiam interrogare volenti edendam, affirmandum est, 12 † sed etiam ipsorum met inducendorum testium nomina; vt per Baldum, Felinum, & alios in d. cap. per tuas; cum enim ad recognoscendos homines nomina inuenta sint, eaq. propter ipsis, vt primum geniti sunt, imponantur l. ad recognoscẽdos, C. de ingenuis manumissis, eis non specificatis, quo eorum quisq. morbo laboret inquirere, & inquisitione facta obijcere non posset, vt clarè habes per Farinacc. in d. quæst. 73. num. 20. & 21. cum alijs sequentibus.

13 At hic loco alterum inter articulos, & interrogatoria discrimen colligere offertur, quòd articulorum copia, seruatis supra positis, petenti alteri negari non potest; Interrogatoriorum verò, vbi petatur, nullatenus cõceditur. & hoc ex eo, quòd

ex

ex eorum præcalendatione testes ad falsitatem, & sic ad veritatis occultationem instrui possent; & proculdubio instruerentur, vt habes per Gayll. in d. obseruat. camerali 95. num. 6. in principio. Glosam in d. cap. præsentium in verbo interrogatoria, & alios plures allegatos per Farinacc. loco citato nu. 19. Albericum de testibus cap. 7. num. 102. & Campegium in Regula 275. Marian. Socin. de testibus num. 3. Baldum num. 41. post Crottum in septima parte num. 177. per Moncadam.

Quoad Tertium super alterius partis articulis, seu exceptionibus ea formanda est supra diximus; Nam si extra articulos super externis formarentur, non procederent, admittiq. non debent; & hoc ex

14 eo; † quòd interrogandi testes sub eodem iuramento, quo in articulis deposuerunt, postmodum principali examine completo, interrogantur; iuxta communem practicam, vnde extra articulos deponentes, non iurati deponere intelligerentur, & consequenter nullam fidem in eorum dictis efferrent, iuxta textum in cap. de testibus in glosa, in verbo non iurati de testibus, habes per Gayll. loco citato num. 4. & plenius infra in sexta Consideratione notabitur.

15 Præterea negocia ipsa, quæ in iudicijs passim deducuntur, circunstantionata sunt; seu circunstantiarum complexu constant, qualia sunt omnia, quæ hipothesibus in quæstionibus concluduntur, & sic loco, tempore, persona, causa, & alijs similibus, de quibus habes vulgatos versiculos apud Glosam in d. cap. cum causam de testibus, videlicet:

Auditus, visus, persona, scientia, causa,
Fama, locus, tempus, ac certũ, credulitasq.

Propterea de auditu, visu, fama, persona, loco, tempore, de certitudine, vel credulitate, & alijs interrogari poterunt; vt in d. cap. causam quæ de testibus, & prosequitur optimè Albericus de Maletis de testibus cap. 8. num. 5.

16 Insuper, quoad hanc ipsam rem attinet, hæ circunstantiæ eiusmodi sunt, aliqua excepta, vt super eis, & nulla per partem ex aduerso interrogatoria formata sint, possint nihilominus ab ipso iudicante; imò debeant testes interrogari; vel si proposita quidem interrogatoria fuerint; sed non sufficientia in proposito negocio iudicanti videantur; Iudex ipsæ supplendo testes vltra magis interrogare poterit, prout debet, cum rimari cuncta ad veritatis inquisitionẽ vsque ad eius spectet officium, vt in cap. iudicantem 30. quæst. 5. & ex consequenti alio versiculo argumentum habes, dum dicitur.

Dum testes recipit, Iudex hæc cuncta rimabit.

alias enim non interrogãdo posset iudex aliquo pacto rationabiliter in syndicatu molestari; iuxta notata per Moncadam post Crottum de testibus parte 7. nu. 203.

17 Insuper quia supra diximus ad formãdum interrogatoria etiam testium nomina edenda esse, propter varias illas exceptiones, quas in antedictis aliqua ex parte ponderauimus; propterea, & super eis concipi posse interrogatoria non dubitandum; vtputa an pro depositione facienda testis ipse pecuniam, aut aliud quicquam simile acceperit. Secundo an fuerit à producente, vel alio eius nomine instructus, vt deponeret eo modo, quo deposuit, vt cùm alijs eo modo examinatis concordaret. Tertiò an desideret eum producentem in ea causa victoriam reportare. Quartò an ex ea causa, vbi pro producente sententia feratur, sit ipsæ aliquod commodum reportaturus, vel si deperdatur incommodum. Quintò an ipsæ consimilem causam habeat. Sextò an sit nobilis vel ignobilis, & si ignobilis an artifex sit, & in quo artificij genere versetur. Septimò an sit doctus, aut doctor, vel imperitus in materia, de qua agitur. Octauò an sit producentis debitor, vel creditor, aut fideiussor, & si creditor in qua quantitate, & an sibi soluere possit, etiam ea causa deperdita, & si posse dixerit, de quibus bonis, quæuè illa sint, vbi sita, quomodo sciat, & an nouerit illa esse alijs obligata, & si alijs an ipsæ anteriora iura protendat, & vti hoc sciat. Nonò an sit producentis in linea ascendenti, vel de-

scendenti, vel ex transuerso consanguineus, vel affinis, an commensalis, intimus amicus, Aduocatus, Procurator, Sollicitator, Tutor, vel Curator, & sic pariter de similibus cæteris; quæ ex habitudine ad producentem deriuantur.

Vel rursus, quoad habitudinem ad eũmet, contra quem producitur, an sit eius inimicus, & ex qua causa. Et quoad habitudinem ad ipsum met testem productum, & legem, seu statutum de testibus loquens, & eorum validitate. An sit diues, vel pauper, an bonis cesserit, an criminosus sit, vel excommunicatus, & an per annum in ea excommunicatione permanserit, an tamen criminosis his interrogatorijs responderi debeat infra requiras; & sic pariter de alijs similibus passim, de quibus habes per Speculatorem in vulgato §. iam de interrogatorijs, & Albericũ de Maletis in d.cap. 8.num.7.& 9. super iam dictis tamen rursus quanti formata interrogatoria ad testium depositiones subuertendas valeant, dic, vt in præcedentibus, & mox in subsequentibus exponetur latius, & latissimè prosequitur Campegius in Reg.274.

18 Quò tamen rem vlterius producamus, illud indè subnotandum est, nõ omnibus videlicet interrogatorijs passim ad respõdendum testes obligari; sed illis tantummodo, quę ad causam facere videbuntur; vel legibus non improbata noscuntur; vt per Angelum in l. si in rem num.3. ff. de reiuendicat.

Pro hoc tamen planius exoluendo, considerandum est, interrogatoria ipsa

19 † multipliciter distingui; quædam enim sunt substantiblia, quædam coherentialia, quædam adminiculatiua, seu ad cautelam, & quædam inutilia, seu impertinentia, vt habes per Baldum in l.testium num.11.& 12. C.de testibus, & Gayll.in

20 d.obseruat.95.in principio.† Substantialia quidem ea esse intelliguntur, quæ factum aggrauant, aut animi motum in iudicante ad rem, de qua agitur, facilè instruunt, vt per Butrium in d.cap. cũ causam num.18.vtputa si testis intendat deponere, quod mulier Senatusconsulto Velleiano renunciauerit, & quod de Velleiani vigore fuerit à Notario certiorata, vel minor aliquis de restitutionis bene-

21 ficio, vel alijs similibus, † potest enim tunc is interrogari quid sit Velleianum, quid restitutio, vel simile aliud, & respondere tenebitur, & si interrogatus ignorare se responderit, non probabit, & sic cadet in palestra, quam parauit; cum id super quo deponit, nullatenus intelligere deprætenditur, iuxta plura notata per Doctores, & præsertim Decium in l. 1. ff. si cert. pe-

22 tat. † Aduertendo tamen quòd non poterit testis in eo casu compelli ad respondendum per iuris diffinitionem, sed sufficit, si grosso aliquo sermone, aut per verba factum demonstrantia, eius rei substantiam, de qua agitur, & interrogatur, exprimat, vt per Bartol. Baldum, Alexand. Aretin. & alios in d.l. 1. Farinacc. de oposit. contra personas quæst.47. nu.225. & infra Considerat. sexta propè finem.

23 Intelligendo rursus, etiam quòd pars ipsa præcisè in interrogatorio se ad ius restrinxerit, vt quia dixerit, interrogetur quid sit de iure restitutio, vel mutuum. Nam nec illi per iuris verba respondere astringitur, vt per Socin.in d l. 1. & ibidem per Franciscum à Ripa nu.32. non enim omnibus legitimæ definitiones obuiam sunt; nec sanè per omnia etiam ius ipsum ciui-

24 le summoperè profitentibus. † Quamuis tamen quoad legum Doctores probata sit in contrarium sententia; quòd interrogati ipsi modo prædicto, per iuris verba respondere debeant; quippè cum satis turpe illis cedere insinuatum sit, vbi ius, in quo versantur, eos ignorare aduertatur, vt in l.2.§. Seruius Sulpitius, ff.de origine iuris, & habes per Aretinum in d.l. 1. & Ripam ibidem num.35.nimium tamen rigorosa sententia est.

25 Et in summa interrogatorium, quod communiter super causa scientiæ concipitur substantiale esse dignoscitur; cum constet rationem in teste eius depositionis animam, seu formam esse; quæ si bona, apta, concludensq. fuerit, eius dictum benè informabit, sin autem mala conuelet, cũ sine forma minimè coherere posse intel-

intelligatur. Bona verò tunc ratio esse exauditur, † cum per conuenientem ipsi negocio super quo deponit, sensum se illud scire subiungit, vtputa de mutuo attestans, quia tale illud sit, quòd pecuniæ numeratione naturaliter perficitur, ei numerationi magis conuenit oculus, quàm auris, & sic congruentius in mutuo scientiæ causam testis reddere intelligetur per sensum visus, quam per auditum. Si verò de promissione alicui facta quis attestaturus sit; quia tale factum verbis explicatur; propterea efficacius per sensum auditus de scientiæ causa attestari comperietur, † oculus enim colores declarat, & auris vocem aurit secūdum Platonem in Minoe. Et quia alia sunt negocia, ad quæ explicanda alij sensus congruentiores sunt; propterea de vini mala qualitate, vel bonitate attestans, congruentius dicet quia gustauit, vel odorauit, quàm si se vidisse dixerit, licet enim, & color vlterius in vino inspiciatur, tamen fallax esse solet bonitatis signum, idcirco pro concludent ratione habenda non erit, quæ per sensum eiusmodi reddita est, arg. textus in l. qui testamento hæres, §. vltimo vers. si vel sensu, ff. de testamentis, dicas tamen, vt infra in sexta Considerat. latius, circa finem.

Vndè ad rem redeundo, † illud pariter in hac ipsa re probatum attendimus, quòd ei interrogatorio non compellitur testis respondere, si alias super articulis examinatus contentorū in eo optimè rationem reddidisset; sed potest se per prius testificatis remittere, prout communiter seruatur, & habes per Bartol. in l. 1. ff. si cert. pet. num. 11.

Id ipsum tamen licet frequentius obtineat; limitatur nihilominus, vt non procedat † vbi testis, qui interrogatur suspectus haberetur; Nam tunc pluries super interrogatorijs etiam non substantialibus interrogari posset, iuxta textum in d. cap. licet causam de testibus; dum ibi dicitur, *De singulis circūstantijs subtiliter inquirentes*, vbi per Decium num. 52. alios allegatos per Nellum de testibus nu. 103. & Gomesiū Tomo 3. in Rub. de probat. delictor. num. 11. † vtputa si interrogetur de temporis qualitate, an scilicet fuerit serenum, aut nubilosum, cum alias super ea qualitate interrogatio cōcipi non possit, vt per Glosam in d. cap. cum causam in verbo tempore, & Speculatorem loco citato num. 14. dicetur nihilominus plenius infra, & Bald. in l. edita in repetitio. Paduana num. 71. vers. Tertio modo dicuntur.

Cohęrentialia rursus sunt, locus, tempus, & quæ super eis formantur, interrogatoria; cum omnia locis, & temporibus circumscribi, palam sit, vt in d. cap. cum causam, & in eis testes vbi respondeant, vel contrarietatis, aut variationis in lapsū incidere solent, vel saltem in suspictionē aliquam; vbi omnes se de tēpore non recordari interrogati enunciabunt. Diximus contrarietatem incurrere, si in actu non reiterabili de tempore diuersimodè responderint, variationem, seu singularitatē verò in actu, seu negocio, quod repeti verisimiliter potuit, † & sic eo casu tanquam singulares diuersificatiua singularitate, vti in negocio in spetie comprobando, nullatenus probabunt, vt per Butrium in d. cap. cum causam num. 22. & Felinum num. 12. Speculatorem in d. §. iam de interrogatorijs num. 9. & 10. & sunt iura in cap. nihilominus 4. quæstio. 10. & cap. de parentela 25. quæst. 6.

Intelligendo quod dictum est potissimum in negocio, in quo locus, & tempus de eius substantia esse intelliguntur; vt puta cum talis est actus, qui in aliquo circumscripto anno, vel mense, aut die, aut de die, & non de nocte, vel è contra, fieri debet, aut alio certo termino, vel in iudicij loco, & non extra, aut in Ecclesia. Vbi verò de tempore omnes non recordari dixerint, eos suspectos fieri notauimus; Intelligas tu procedere etiam quòd tempus in eo casu de substantia actus non sit, ex Io. Andreæ sententia in additione ad Speculat. in d. §. iam de interrogatorijs, sequitur referendo Albericus de Maletis in allegato cap. 8. nu. 13. & Nellus parte 1. de testibus num. 103.

Præterea, & illud subindè hic duximus

mus comminiscendum non adeò videlicet stricta de loco, & tempore interrogatoria concipi debere, vt & locum loci, & diei, vel noctis horam quis interrogando, subtiliter inquirat; Nam eis fortassè ita in indiuiduo conceptis non compelletur testis respondere; cum satisfacere quam maximè intelligatur, si locum, & tempus, & successiuè de tali anno, mense, vel die quid factum, aut dictũ exprimat, & præcipuè in inquisitionibus ad defensionis effectum, vt per Albericum in d.l. testium num. 12. & Doctores in d. cap. cum causam.

35 Hoc ipsum tamen limitandum est non procedere, vbi pars ipsa se ad horam restrinxerit, vt quia de prioritate actus in vna die à pluribus facti contendatur, vt puta si ad præmium aliquod constitutum obtinendum, quis prior tale aliquid fecerit, aut præstiterit, inquiratur, vel ad prælationem obtinendã super prioritate duorum instrumentorum vna, & eadem die confectorum contendatur, stante vtriusq. partis in cæteris omnibus æquali iure, iuxta notata in l. 1. ff. soluto matrimonio, & de principali cõclusione habes per Albericum in allegato cap. 8. num. 10. sed de hoc infra magis.

36 Quantum tertio loco ad adminiculatiua, & quæ ad cautelam interrogatoria fiunt, admitti ea debere nemo dubitat, cũ in his ferè omnis eorum virtus peruagetur, atque consistat, vt supra.

37 Cæterum quantum ad inutilia, cauillosa, & impertinentia quæ dicitur, admittenda ea non esse; satis probata conclusio dictat, inutilia quidem; quia non sine iudicantis dedecore, cuius verè partes sunt, exprobare, & resecare superflua, ex eis testes fatigarentur. Quantum verò ad cauillosa similiter; quia videlicet ferendum non sit, ad vnum effectum, quæ inducta sunt, in contrarium, & nequissimum vsum conuerti. Constat enim non nisi ad eruendam veritatem, eamq. tutandam interrogatoria excogitata fuisse, quę si modo, cauillis conciperentur, per contingentem ex eis testium deceptionem, ad illam prosternendam tẽdere facilè aduerterentur. Vndè & illud pariter satis grauiter firmatum est, † quòd si iudicantis in curia cauillosa admissa interrogatoria forent, testes sanè ad illis responden dum compelli nõ possent, vti optimè probauerunt Felinus in d. cap. cum causam num. 13. Hostiensis num. 9. & Speculator in d. §. iam de interrogatorijs nu. 24. & 25. Semper restringendo tamen, & limitando, † vt supra videlicet, vt non procedat in testibus suspectis; quia contra eos non solum inutilia, & superuacua, vt prænotauimus interrogatoria sustinenda sunt, sed etiam ipsa met, quæ dicimus cauillosa; seu multiplicia, & Dedali illius Cretensis laberintum facientia; iuxta allegatam Glosam in d. cap. cum causam in verbo tempore, Bartolum in l. de minore, §. plurimum num. 2. ff. de quæstio. Cyrillum in praxi, in tit. de testibus, §. 2. Campegium in Regula 212. & Vrsillum in Afflicti decisio. 113. nu. 4. & Crauettam in consil. 932. sub num. 2. & Alex. de Neuo in consil. 7. num. 7. & consil. 11. num. item 11. & Bombin. in cons. 69. num. 10.

38

39

40 Et vt ad exemplum decurramus, licet de credulitate testes interrogari possint, vt supra ex recitatis versiculis colligere est, & habes per Panormitanum in d. cap. cum causam nu. 2. & ibi passim per alios; tamen si per cauillationem eiusmodi credulitatis interrogatorium formaretur, ei, iuxta supradicta; non erit respondendum; nisi in casu suspictionis testium proximè ponderato.

41 Illud autem eiusmodi esse solet. *Item interrogentur testes an omnia quæ deposuerint credant esse vera.* Nam si responderint, prout præsumẽdum est, eos, ex eorum simplicitate, multoties responsuros; cum non omnibus hæc ipsa tractandi modus pateat; & sic quòd omnia supra per eos testificata vera esse credant. † tunc super omnibus, ex dicta conclusione habita, de credulitate attestasse intelligentur; quæ attestatio non satis esse ad plenã fidem inducendam diiudicatur; quantumuis per aptum corporis sensum, in depositionis contextu rationem exposuerint; plenèq. iuxta eius naturam factum essin-

42

effinxerint, vt benè habes per Albericum de Maletis in d. cap. 8. num. 26. Io. Andream in cap. inquisitionis de accusatio. & latius per Farinacc. in d. quæst. 73. nu. 32. & 33.

43 Tu verò in hoc benè aduertas; quia contrarium depræhendimus Baldum notasse in l. 2. §. quod obseruari, C. de iuramento calumniæ in vers. 3. oppono, ex Glosa ibidem, in verbo credit; dũ inquit minime eius diffundi testimonium, qui quod prius per veritatem affirmauerat, se credere demum esse verũ ineptè subiunxit; & quòd per tales subsequentes captiones aduersariorum non corruant certæ, & indubitatæ testium depositiones, fuisse in facti contingẽtia obtentum Cardinalis retulit; prout in d. cap. inquisitionis Ananias meminit, sequitur Abbas in cap. quoties de testibus; facit quod notauit idem Baldus in l. 1. in principio per illum textum, ff. de iustitia, & iure; idem Baldus in l. de quibus de legibus, latius prosequitur Moncada post Crottum de testibus parte 7. sub num. 177. & Cephalus in consil. 233. num. 26.

44 Quantum verò ad impertinentia, ea dupliciter intelligi possunt, & sic vno modo respectu eius, contra cuius testes ipsa concipiuntur; altero verò modo, quatenus contra testes diriguntur, vt tamen etiam de eorum fide contra ipsum met producentem subtrahatur. † Quoad primum modum, ea impertinentia credita sunt, quę nouum aliquod capitulum continere spectantur, vtputa si testes de mutuo attestantes, quis de eius mutui solutione, seu restitutione hoc, vel illo modo facta, interrogari procuret, vt per Albericum de Maletis in d. cap. 8. num. 4. cui interrogationi, vti nouum capitulum continẽti, & extra illa super quibus ipse examinatus est, respondere non cogitur; sed occurrere ei potest per commune illud verbum nescio, vt per Speculatorem in d. §. iam de interrogatorijs num. 19. & Bartol. Ripam, & alios in d. l. 1.

45 (margin)

46 Quoad secundum si testes quis contra inducendos super eorum proprijs criminibus, vel turpitudinibus interrogari efflagitet, & sic an fur sit, vel falsarius, adulter, infamis, & alijs maledictis irretitus, vel an bonis cesserit, aut propriã an vxorem, aut consanguineam prostituerit, venalemq. habuerit, an pecuniæ acceptione ad deponendum summotus fuerit, & de cæteris paribus; Nam similiter respondere non tenentur, vt per Hostiensem, Io. Andream, Baldum, & alios in d. cap. cum causam, & Butrium in cap. 1. de exceptio. sub nu. 11. & Albericum de Maletis de testibus cap. 8. num. 3. & 7.

47 Quod ipsum, quod notatum est; nè dũ in casu, in quo deducta in interrogatorijs crimina occulta sunt, procedere exaudiendum est, sed etiam si manifesta apparerẽt, vt per Antonium de Butrio in d. cap. cum causam nu. 2. & Felinum ibidem nu. 10.

48 Intelligendo, & ampliando vlterius † etiam quòd de eis per sententiam constaret; quia hoc casu, si sententia allegaretur, sine productione, non sufficeret; si verò ea produceretur, frustratoria tunc, & superabundans criminoso testi interrogatio facta crederetur, ab eodẽq. prolata confessio, quicquid in contrarium senserit Viuius in cõmuni opinione 912. in principio, & de antedictis per Florianum in l. 3. num. 6. de testibus, & Campegium in d. Regula 212. in vers. secundo quia.

49 Nec traditioni iã scriptæ officit, quòd sæpius traditum est, † testem videlicet de omnibus his interrogari posse, quæ eum inhabilem ad comportandam fidem efficiunt, aut ad eũ in suo dicto penitus conuellendum; vt per Speculatorem in d. §. iam de interrogatorijs nu. 19. Bartolum in auth. si testis C. de testibus, & in l. 3. ff. eod. & Butrium in d. cap. cum causam num. 20. Nam semper ab his crimina, & propriam turpitudinem excepta, vel exceptam, intelligere oportet; & sic de his tantum, quæ supra retulimus, & similibus alijs interrogari poterunt; † vtputa, si discurrendo, dicas an sit alumnus, an filius legalis, an spiritualis, an socius, venditor, fideiussor, vel an consimilem causam habeat, an vxor, de vniuersitate, vel collegio sit, an rursus caupo, nauta, vel stabularius, an birruarius, an famulus sit, vel fuerit,

50 (margin)

& si

& si fuerit, cur licentiatus sit, & an ad effectũ forsitan, vt postea in examine prodesset, atque per fraudem fuerit dimissio procurata; & sic passim de similibus alijs.

51 Tandem quantum ad prędicta attinet, & si criminosis interrogationibus testes respondere non teneantur; si tamen, pro eorum facilitate respondisse contigerit; sibi imputent; Nam infirmam eorum pro producente, ex hoc attestationẽ reddent; vt per Hostiensem in d.cap. cum causam, num. 23. Io. Andream ibidem num. 15. Couaruuiam practicarum quæstio. cap. 18. num. 7. & quod ita seruetur de consuetudine per Iacobum Aegidium de testibus num. 50. vbi plenè.

52 Quod verò dictum est eos non teneri; intelligendum sanè est; vbi per partem interrogatoria dantur; non autem vbi per judicem; quia tunc nonnisi, vt criminis participes interrogantur, quòd iure fit, vt per Hostiẽsem, & alios, in dicto cap. cum causam, & Farinacc. de oppositio. contra examen d. quæst. 73. nu. 59. & 61. Non tamen tam largas habenas iudicanti dabimus, vt de omnibus, atque vniuersis sibi in iudicijs occurrẽtes interrogare præsumat; † Nam Aduocatum quidem alicuius contra eum, & si in omnibus; quæ ipse, vt testis rescire potest, valeat interrogare, non tamen in alijs, quæ vti Aduocatus callet, iure interrogabitur, nè iniuriosa necessitate adductus suum principalem, seu clientulum prodere compellatur, vt latè per D. de Frãchis in decis. 222. num. 10. vsque in finem, Afflictum in Regni Constitut. Aduocatorum in secundo notabili, aliqua per Petrum Surdum in decis. Mantuana 190. circa finem, & Rolandum à Valle in consil. 36. num. 23. vol. 3.

53

Sed ad rem redeundo, licet criminosis interrogationibus testes respondere non teneãtur, iuxta prædicta † principalis tamen tàm de suis proprijs; quàm de testium sceleribus interrogari poterit; iuxta notata per eundem Farinacc. ibidem nu. 68. vbi contrarium sentientes memorat, num. 69. & faciunt quæ supra in prima Consideratione notauimus nu. 186. habes præterea, & per Baldũ in praxi quæstio. 6. circa probationes num. 5. ex doctrina Innocentij in cap. dudum de electione, quia videlicet nemo ad seipsum prodendum cogi possit, vt in cap. si quis haberi, §. non dico de pænitentia distinctio prima.

54

Receptui ergò canendo, simplicia, pertinentia, & ad causam facientia interrogatoria esse debent; alias nequaquam admitti debent, iuxta suprascripta; dummodo tamen manifestè impertinentia appareant, vt ad quartum caput transeamus, † Nam in dubio si versari contingat; an videlicet pertinentia, vel impertinentia sint, quæ in trutinam perferuntur, pertinentia potius ea iudicanda erunt, vt per Glosam in d.cap. præsentium, in verbo interrogatoria, & secutus est Iason in vulgata l. 1. num. 16. ea etenim ad veritatis inquisitionem tendunt, ad quã complendam omnis iudicantium conatus adhibendus est. † Nam vbi veritas adest; eius in omni æuo conditio ea cognita est, vt quantò magis excutiatur, tantò amplius excussa probetur; vbi verò è contra mendacium subseritur, facilè præ interrogatoriorum copia, non benè munita, minusue Dei iudicio, vndique tuta malitia, per variationem, quòd accidit frequẽtissimè, detegi potest, aut in singularitatem perduci, de quo in subsequentibus aliqua prosequemur.

55

56

57 Præterea, quia interrogatoriorum copia non datur, vt supra, illud verum indè est, atque probatum, quod si eorum petatur discussio fieri, ea per iudicem tantum facienda est, vt quæ pertinentia, vtiliauè dumtaxat sunt, testibus proponantur, iuxta præscripta. † Addendo etiam, quod vbi ea petitur, statim à iudice præstanda est, nè putet, media eius inter locutione, in aliud tempus eam posse differri; prout de articulis fieri posse notatum est per Afflictum in eius decis. 33. & alios innumeros allegatos per Mascardum in conclus. 132. de interrogatoriorum verò non differenda discussione habes per Felinũ, & alios in d. cap. per tuas num. 6. & sequitur Stiaticus in praxi Bononiensi c. 5. num.

58

num. 26. & cap. 6. num. 10. Vndè tu alterum inter articulos, & interrogatoria discrimen colligis, quod supra loco referre possis.

59 Quantum ad quintum prænotandum est, quòd & si, vt dictum est, interrogatoriorum vsus sit valdè vtilis, ac conducibilis, est tamen simul partibus voluntarius; quia pars altera ad videndum examinandorum testium iuramenta citata, prout requiritur ad examinis validitatem, vt infra in sexta Consideratione notabitur; potest tunc protestari, nè testes absque interrogatorijs ab eo formandis, & præsentandis examinentur, pro quorum expeditione, vt supra, terminum habere debet; & si hoc non petierit, facta admonitione præfata, si iuramentorum delationi interesse voluerit, benè in eius est potestate, sin autem non, tunc sine alio ad testiũ receptionem, & examinationem proceditur, vti notauit Paulus Castrẽsis in l. vnica, §. is videtur nu. 4. & ibidem Alexander num. 7. ff. si quis ius dicenti non obtemperauerit, quos refert, & sequitur Andreas Gayll. in d. obseruat. 95. num. 9. in fine, & obseruatio. 96. num. 6.

60 Illud tamen rursus intermittendum nõ est, quòd & si voluntarius sit interrogatoriorum vsus, vbi tamen illa proponi cõtingat; adeò interrogandi opus efficitur necessariũ, atque simul ineuitabile, quòd testes examinati, & super eis interrogari omissi nullo modo probarent, iuxta Ioan. Andreæ & Abbatis placitum in d. cap. cũ causam num. 12. & alios penè innumeros allegatos per Farinacc. in d. quæst. 73. nu. 3. 4. & 6. non obstantibus allegatis nu. 5. Brunorum in compendio in verbo testes non repetiti, vbi innumeros allegat, ac de communi attestatur, Abbatem in d. cap. per tuas de testibus, & Marantam in consil. 12. num. 15. Quod idem sanè affirmandum est, vbi ex testium facto hoc euenisse dicatur, vt quia interrogati ipsi super eis nullo modo respondere voluerint; secundum quòd Nellus tradidit in tract. de testibus num. 99. & per eundem ibidem num. 193. & habes per Farinacc. loco citato nu. 14. quia videlicet paria sint aliquid prorsus nõ fieri, aut minus ritè, iuxta vulgarem illam iuris dispositionem, de qua in l. non putauit, §. non quæuis, ff. de bonorum possessio. contra tabulas, & faciunt ad principalem conclusionem iura in l. solam, C. de testibus, & in auth. de testibus in §. & licet, & notata per Bombin. in consil. 69. num. 18. & 19.

61 Benè tamen verum est, quòd si pars ipsa, in cuius iniuriam omissa interrogatio est; nullitatis incursæ iudicium prosequi contra examen nolit; sed potius super propositis interrogatorijs suo loco, eos interrogari velit; tunc omnimodo, ad eius instantiam, in quemcunq. terminũ, quamuis conclusiuum, iudicium perductum sit, eos interrogari oportebit, iuxta textũ, & glosam in d. cap. per tuas in verbo audiendum, & in cap. causam, quæ il secondo, de testibus, alios allegatos per Gayll. in d. obseruatio. 95. num. 7. Bouerium in singularibus, in verbo Testis nu. 5. Guidonem Papam in Singul. 202. Farinacc. in d. quæst. 73. num. 60. & Mascardus in conclus. 685.

62 Hæc omnia tamen, & infra dicenda alia in causis in S.R. Concilio vertẽtibus, & alijs inibi supremis Tribunalibus locũ sibi non vendicant; quippe cum in eis de interrogatorijs testibus dandis non tractetur, ex ratione notata per Nouissimos in praxi ciuili parte 5. in glosa impertinentes num. 41. pro illis tamen tribunalibus, in quibus recepta interrogatoria sũt, institutum prosequendo, † etiam nullum

63 & nulliter extructum examen intelligetur, si ad formandum interrogatoria fuisset terminus petitus, & concessus non extitisset, vt per Viuium in communi opinione 806. num. 6. vbi, & alia ponderat, & Albericum in d. cap. 8. num. 3.

64 Illo etiam hic pro Coronide adiecto, † quòd pars ipsa præsens esse potest, quũ super interrogatorijs à se productis testes aduersarij interrogantur, tanquam benè in eis instructa, ex præcõcepto in illis scopo, vt in l. si postulauerit, §. quæstioni, ff. de adulterijs, & habes per Farinacc. ibidẽ num. 15. licet, vt ibidem, hoc in viridi obseruantia non sit; contrarium enim voluit

Angelus, ex intentione Gulielmi in l.legis virtus in principio, ff.de legibus; † ea tamen traditione attenta, iam alterum ab articulis interrogatoria discrimen sortitur, cũ in examine super articulis facienda partium nulla præsens esse possit, nisi, cum iuratur tantum, iuxta vulgatam practicã, de qua in l.si quando, C.de testibus.

65

Quoad sextum verò, & vltimum, vt de aliquibus dubitãdo, demum capiti huic, & toti considerationi modũ imponamus, primò quæri potest; quid iuris dicendum sit, † si quis an amicus, cum verè sit, interrogatus non esse respondeat, vel non domesticum, commensalem, consanguineum, cum præterea verè sit, vel non inimicum ipsius interrogari facientis, cũ sit pariter; An videlicet is, vti falsus in contrarium veritate detecta, puniri valeat? nullamq. insuper fidem præseferat? Breuiter dicas † illum falsi pæna plectendum non esse, vt per Iasonem in l. si quis, nec causam, ff. si certum petatur, D. de Anna in singul. 521. Albericum de Maletis de testibus cap. 2. num. 71. Crottum 8. parte nu. 10. & Mascardum in conclus. 1050. nu. 29. non enim is circa facti substantiã mentitur, † sed benè pæna stellionatus extraordinaria punietur, vt per eundem Albericum ibidem nu. 72. & per Arnonium in singul. 78. num. 1.

66

67

68

Quoad aliud verò caput, Clarum est repelli eos posse, aut si non repellantur, multum de eorum fide comminui, vt per Felinum in d.cap. repellantur de accusat. & in cap. cum P, eodem titulo, vbi Innocentius, Alexand. in consil. 99. incip. in causa inquisitionis num. 2. vol. 1. Moncadam in 3. parte post Crottum num. 178. Hippolitum de Marsilijs in singul. 178. num. 2. Afflictum in cap. ex facto nu. 11. in titulo an remoueri debeant testes, qui pares esse desierunt, dic plenius, vt per Marianum in cap. inquisitionis, §. tertiæ dubitationis de accusat. Bossium de oppositio. testium nu. 64. & alios plenissimè allegatos per Farinacc. quæst. 53. nu. 22. & 23. de oppositio. contra testes.

69

Secundo loco quæri potest quid iuris si quis simpliciter se amicum esse di cat, prout cum alijs communiter; an ex eiusmodi responsione eius fides cõminuatur? breuiter negatiuè respondeas, vt per Alexand. in consil. 4. incip. viso processu inquisitionis num. 8. vol. 6. & per Farinacc. quæst. 65. de opposit. test. inspect. 5. num. 254. & faciunt ea, quæ multipliciter supra de amicitiarum speciebus exposuimus, vbi videndum.

70

Vndè tertio loco quæri potest; quid si simpliciter respondeat, se amicũ, non tamen illo addito, prout cum alijs communiter est, reuerentialis, & vt vulgariter dicitur, di barretta? Dicendum tunc non intelligi de ea amicitia, quæ testem ad repellendum sufficiat, vel ad eius fidem cõminuendam, vt per Alexãd. in consil. 78. incip. in causa, & lite nu. 3. vol. 6. & Farinacc. ibidem nu. 255. & hoc ex eo, quòd cum multiplex sit amicitiæ species, iuxta in præcedenti consideratione exposita, ex huiusmodi confessione resultet æquiuoca quædam probatio; quæ contra producentem, seu interrogari facientem interpretari debet, & sic quòd non ea amicitia producenti astringatur, quæ testem repellere potest, vt in cap. in præsentia de probatio. & latius habes loco citato.

Aduertendo tamen in hoc, quòd vbi statim post examẽ testes super interrogatorijs examinantur validum erit simplex interrogatorium an amicus sit producentis, & ex qua causa; quòd si non statim, sed in alia iudicij parte, vt cum interrogari à iudice, vel alia ratione desierunt, vt supra est expositum, tunc quidẽ addi posse interrogatorio satis probari potest; nã simpliciter eo modo conceptũ si affirmatiuam testis reciperet interpretationem in nullo interrogari facientẽ releuaret; potuit enim amicus esse post depositionem factam; quo casu eam non officere ex ante dictis satis liquet, cum qualitas inhabilitans ad depositionis tempus referẽda sit, vt ibidẽ, debet ergo suppleri, an fuerit amicus eo tempore, quo deposuit ex prædictis.

71

Præterea quid si respondeat se esse paratum pro ipso producente effundere sanguinẽ? Dicas quòd neque ex hoc repelli posset;

possit; quia non per hoc animã pro amico suo perdere velle præsumeretur, vt per Alex. in cons. 88. incip. quoniã omne datum nu. 14. & 15. vol. 5. & per Farinacc. prosequentem ibidem nu. 256. licet hoc casu de fide ei derogetur, & si cõstaret de causa intimæ alicuius amicitiæ magis, pro iudicantis arbitrio, causarum, & personarum qualitatibus consideratis.

72 Consequenter quid si dicat se desiderare, quod ipsum producẽs causæ, de qua agitur, victoriã consequatur? dicas quod ex hoc eius non erit dictũ integrum existimandum ex ea cõcepta, & euulgata in producentem affectione; quæ potissimum in dijudicandis testibus perpendi solet, iuxta notata per Detium in l. is apud quẽ C. de edendo, & alia allegata per Farinacc. in quæst. 69. nu. 46. limitat tamen ibidem nu. 47. vt non procedat, vbi testis sui desiderij rationabilem aliquã causam allegaret; vtputa si diceret, se hoc desiderare, quia plurimum is fame comprimitur, tunc enim ex charitate id dixisse comperiretur, & sic Christianum esset desiderium, quòd laudẽ potius meretur.

73 Sextò quæri potest; quid si quis interrogatus dicat se fuisse instructũ, & informatum nunquid fidem faciat? Dicas pariter, quòd cum non reperiatur prohibitum testem instruere, vt aptè deponat, & à veritate nõ discedat, iuxta notabile Baldi dictum in l. vltima, ff. de ferijs; quem secutus est Bouerius in singularibus suis in verbo Testis nu. 13. Dici potest nihil fidei ex hoc ei adimendum fore; plurimi tamen valiturum ex productorum testiũ qualitate formandum arbitrium negari non debet, vt habes per Nellum de testibus 1. parte nu. 102. Bossium in titulo de opposition. contra testes nu. 31. & 50. & Campegium in Regula 216. & de prædictis per eundem Bald. in Rub. C. si ex falsis instrument. & Aretin. in l. 2. de rebus credit. num. 20.

74 Septimò quæri hic potest; quòd si in vno interrogatorio de duobus quis interrogatus super altero tantum negatiuè respondeat, an ad alterum negatiuè etiam respondisse censendus sit? & è contra? & videbatur quidem pro affirmatiua respondendum; quia videlicet voluerit vnica responsione, tanquã vno determinabili illa duo quæsita æquè determinare. Quicquid tamen sit, contrarium Bartolus probauit in l. & si sine §. 1. in principio, ff. de minoribus; quem refert, & sequitur Surdus in decis. Mantuana 69. nu. 7.

75 Octauò quæro quid si quis post examen in interrogatorijs fuerit interrogari omissus, & deinde longo post tempore super eis ad partis instantiam interrogatus, super interrogatorio, an sit amicus producentis, dixerit quòd sic, an ex hoc eius fidei aliquid detrahendum sit? Dicas, ex prædictis, quòd non, quia satis dubia responsio dijudicetur, euenisse enim potest, vt post examen eius amicus euaserit, & amicitia, vt dictum est, ad testis debilitationem, tempore depositionis inesse debuit; † vndè nec simpliciter facta contra testes exceptio valeret, quòd fuerunt, & sunt amici producentis, non se restringendo ad tempus factarum depositionum; debet ergò addi, vt supea est latius notatum, & faciunt singulariter notata per Gerardum de Petrasanta in eius singula. 70. incip. tene menti.

76

77 Nonò quæri potest, num in criminalibus Reo interrogatoria concedi possint? dicas breuiter, quòd non; quia respectu eorum repulsam habet; vnde benè Fiscus interrogatoria format, quia ea sibi non concedatur, iuxta dicta in secunda Considerat. in primis columnis. † Licet etiã Reus de iure cõmuni interrogatoria proponere potuerit, vt in d. l. si postulauerit, §. quæstioni, ff. de adulterijs; habes per Follerium in praxi in clausula concedatur Repulsa, seu recipiantur defensiones num. 32. Ebolitanum in Ritu Curiæ 258. nu. 3. & sequitur Clarus in §. fina l. quæst. 23. vers. item quæro † vbi videas; Quòd nec Accusatori illa formãdi aduersus testes ad defensionem examinandos, facultas patet, nisi priuatim ad instructionem iudicis, &, vt dicitur; ad manicam.

78

79

80 Decimò, & postremo quęritur, num in causis summariissimi possessorij interrogatoria formari possint? Et dicas ad ef-

fectum reprobandorum testium, ea non competere, cum in eo repulsa negetur, vt in secunda Considerat. dictum est, quia in eis nulla iuris forma seruata procedatur ratione reparabilis præiudicij in plenario, de quo dic, vt ibi, & hæc in interrogatoriorum materia deduxisse satis sit.

CONSIDERATIONIS SEXTAE

RERVM SVMMAE.

1 *Veritatis inuentum ad iudicẽ spectat; vti humanæ mentis esca.*
2 *Iudices de testium conditionibus inquirere debent; & cur.*
3 *Etiam si ex officio procedant.*
4 *Quam variè de testibus, quantum ad eorum conditiones inquirendum sit, exponitur.*
5 *Iudex ex lege testes reprobando, potest partis defectum supplere.*
6 *Suppletio præfata qua ratione à iudice fieri debeat.*
7 *Plura ex Tullio enarrantur, quæ testibus fidem adimunt.*
8 *Eadem à Iurisconsulto animaduersa fuisse monstratur.*
9 *In testibus quæ spectantur extrinseca, & in reis spectari solent.*
10 *Rubor, pallor, titubatio, inconstãtia, ac deiectio in Reo delicti commissi sunt signa.*
11 *Quemadmodũ per contrarium constantia, & præmeditatus sermo.*
12 *Prædicta in Reis quandoq. timori, & innocentiæ ascribi possunt, in testibus non.*
13 *Animosè deponẽs vti se tueri possit.*
14 *In teste sermo inuolutus, & implicatus vti reprobetur.*
15 *Iudex potest obscuros testes ex officio interrogare, vel repeti facere.*
16 *Vacillatio vti in teste reprobetur.*
17 *Vacillare quid sit.*
18 *Pallor, rubor, & alia in testibus cõtingentia notanda sunt, & cur.*
19 *Similiter & in Reis pro sumendis indicijs notari præcipitur.*
20 *Testes neque per scripturam, neque per procuratores attestari possunt, & cur.*
21 *Testium audiẽtia in criminum causis non committenda, & cur.*
22 *Committitur in Regno pro senibus, & valetudinarijs.*
23 *In magna Curia Vicariæ cur etiam infra dietam committatur.*
24 *Depositionis ornatus etiam in testibus reprobatur, & cur.*
25 *Non minus & animositas reicitur.*
26 *Vtputa, si multa, quasi persuadere velit testis effundat.*
27 *Vel quod non adhuc sibi lectis articulis loquatur.*
28 *Vel quia non citatus se ingésserit, vltroq. examini obtulerit.*
29 *Vbi non est adhibitus à lege requisitus testium numerus, tota probatio corruit.*
30 *Testium, & instrumentorum par ratio credita est.*
31 *In quibus duorum, vel trium testium vox non sufficiat.*
32 *Ad intellectum textus in l. testium C. de testibus plura.*
33 *Numerus quinq; testium scripturæ equipollet.*
34 *Dummodo vniformiter deponant, & quomodo.*
35 *Cur sit quod testes de veritate quandoq.*

Ratio

DE REPVLSA
ET REPVLSA REPVLSAE
PRIMAE PARTIS.
CONSIDERATIO SEXTA.

TANDEM VTI EX TRACTATA SAEPIVS LEGE, RATIONE petita absolutè ab ipso iudicante pro eius officio, repulsa excipiatur, ac fiat, pro Coronide summatim, atque methodicè simul deducitur.

SEQVITVR postremò, vt iuxta in quarta supra Consideratione præscriptum modum, de tertia reprobationis spetie videamus; quæ à iudicante ipso pro eius ratione officij præstari solet. Nã & si vigilantibus,& non dormiẽtibus iura subueniãt, iuxta textum in l. pupillus, ff. quæ in fraudem creditorum; ac maximè pro eorum iurium roboratione partes in inquirendis inuicem testium defectibus contendere debeant, vt in præcedentibus latissimè est expositum; Verissimum tamen preterea est 1 † veritatis inuentum ad Iudicem; cuius rerum notio est, potissimum spectare; omnemq. conatum ad eam ipsum dirigere oportere, ex vulgato cap. iudicantem 30. quæst. 5. cum ea mater iustitiæ verè dicatur, vt per Baldum in l. Libertini ff. de statu hominum, & proindè tanquam humanæ mẽtis esca, ab eo iustitię actus exercẽri semper amanda; vt per eundem Baldum in l. cum ità, ff. de condition. & demonstrat. ac ante oculos habenda, vt in l. quòd si ephesi, ff. de eo, quod certo loco; quibus aptissimè respondent, quæ nos in tracta. de iudice Regni Dialogo primo afferre studuimus, vbi videndum, & maximè cum eius defensione nihil honestius creditum sit.

2 Et quantum ad testes attinet, super eis, inquisitio in spetie iudicãti legitur iniuncta; vt videlicet se de eorum conditionibus informare instruereq. summè inuigilet; ad hoc, vt quantum cuiq. tribuere fidei debeat, iudicaturus exactè cognoscat; cum nemo appositè iudicare posse exaudiatur; nisi de his, quæ antea nouerit, habes in l. 3. ff. de testibus, dũ ibi cauetur expressim. *Quanta fides sit adhibenda testibus, Tu magis scire potes*, & sic inquirendo, prout debet, vt in l. de minore, §. plurimum, ff. de quæstio. 3 † quod sanè intelligendum procedere est, etiam in casu; quo iudex ex officio procedit, iuxta ea, quæ latius supra in secunda Consideratione notauimus.

Tu magis rursus scire potes; & quidẽ multipliciter, 4 † & primò ex ipsorum testium aspectu, & modi perpensione; quo ad

ad deponendum veniunt, vel deponunt.

Secundò habito respectu ad legem, aut de numero adhibendorum testium, pro negotiorum, vel personarum qualitate loquentem, aut certa personarum genera contra similiter alia certa genera attestari prohibentem. Vel.

Tertiò principaliter ratione ex deponentis testis qualitate petita, ex eiusdem met depositione apparente.

Vel Quartò, & vltimò ipsius met, ex eius præcalendatione, & discussione, depositione attenta. Potest enim iudex † per omnia supra exposita capita discurrendo, legitima inquisitione accita, & si a parte petitum non sit, quia fortasse per inscitiã, aut incuriam non deprehenderit, eius defectum supplere, vti Bartolus probauit in l. 4. §. hoc autem iudicium, ff. de damno infecto, num. 7. Baldus in l. quos prohibet, ff. de postulando, alij allegati per Grammat. post Afflictum in decis. 351. Iosephus Ludouicus in decisione Perusina. 86. num. 7. Boerius in decis. 321. num. 4. habes per eundem in consil. 15. num. 7. Innocentiũ in capi. intimauit de testibus, vbi alij plures, sequiturq. Saraina in additio. ad singulare Matthesilani primum num. 21. Cotsettus in singularibus suis, in verbo Testis, num. 1. Follerius in clausula concedatur repulsa num. 25. & optimè per Crottum de testibus parte 8. n. 5.

Nec quidem sine ratione hoc ipsum esse videtur; † Nam cum reprobatoriæ illę qualitates ex actis appareant, ac iudicanti ipsi acta discurrenti notoriæ esse intelligantur; iuris succedit vulgata dispositio, qua in notorijs iudicem supplere posse, seu mauis debere, suggeritur. Quod sanè neque obscurè testatus est Glosator in l. 1. C. qui, & aduersus quos.

De omnibus his igitur breuiter agamus, ea siquidẽ proposita methodo, his explicatis; ita rem complexi videbimur; vt non insulè nos operi finem præscribere, nobis manus dantes, qui bonæ farinæ legentes occurrent, facilè concessuri sint.

Quantum ad primum, multa passim in examine occurrunt, quæ testium integritatem, aut fidem perdere, vel comminuere possent, iuxta Marci Tullij censuram, vtputa loquendi modus inuolutus, & inconstans, in afferendo testimonio timiditas quædam, & titubatio, in facie coloris varietas, cum modo pallor, modo rubor illum attestantem appræhendit. Vltimò vbi testes ipsos depositionis ornatus, & animosa verbositas comitatur.

Horum sanè omnium scitè quidem perantea † Archadius, seu Charisius Iurisconsultus meminit in eius libro singularium de testibus, cuius verba in d. l. de minore, §. plurimum transcripta legũtur, dum ibi dicitur. *Plurimum quoque in in excutienda veritate, etiam vox ipsa cognitoris subtilis diligentia affert; nam, & ex sermone, & ex eo, qua quis constantia; qua trepidatione quid diceret, vel cuius existimationis quisque in Ciuitate sua est, quædam ad illuminandam veritatẽ, in lucem emergunt.* Quæ latè prosequitur Iacobus Nouellus in tract. de defensionibus reorum in titulo. Responsiones reorum in constitutis num. 3. fol. mihi. 78. vbi plures ad id allegat.

Hæc ipsa rursus quæ in testibus consideranda ad eorum fidem stabiliendam, aut comminuendam diximus, etiam in delatis Reis dijudicandis, quum, & ipsi examinantur, discuti soleat. Nam & in eis modo ad perpetrati mali cõscientiam arguendam, timiditatem, pallorem; Deiectionem animi, & Titubationem describimus, & obseruamus, modò verò, si ex aduerso, constantia polleant; in eis præmeditationem, ad affectatã criminis obiecti repulsionem arguimus, iuxta Tullij sententiam Rethoricorum ad C. Herennium libro secundo in Titulo septimo de consecutione inscript. dum inquit. *Accusator dicet, si poterit aduersarium, cum ad eum ventum sit, † erubuisse, expalluisse, titubasse, inconstanter locutum esse, concidisse, quæ signa conscientiæ sunt. Si reus nihil horum fecerit; accusator dicet, † eum vsque adeò præmeditatum fuisse quid sibi esset vsui futurum, vt confidentissimè resistens responderit, quæ signa sunt confidentiæ, non innocentiæ.*

Multò tamen fortius contra testes illa

vrgere, eorumque attestationes exaudiendum est, quam principales ipsos, & criminum auctores. † Nam ipsi excusationem aliquam, ad ea vbi inciderint, afferre, & consarcire benè poterunt; Testes verò nullam, vbi enim criminum acciti auctores palluerint, ruboreuè asperſi sint, titubasse eosdem, inconstanterque locutos esse, aut concidisse contigerit; ea omnia nō peccati quidem euenisse cōscientia, sed ex periculi magnitudine, ad quod se protrahi parum animosi, & in aduersis assueti comprehendunt, affirmare valebunt. Quod si per contrarium se constantes, & intrepidos ostenderint, eam animi vim, satisque exploratam confidentiam se ex innocentia, inculpataque vita, qua se fretos comminiscuntur, retrahere, commentari poterunt, vt idem loco citato Tullius subicit. Testes verò quam palloris, Ruboris, titubationis, aut concidentiæ causam perferent? cum nullo se in discrimine esse, neque ad aliud vocari, quam ad veritatis perhibendum testimoniū, summoniti intelligant? quòd ferre, dignitatis esse suo loco notauimus. Ergo ex malo, quod patere adoriuntur, nè in eos recidat, quod multoties euenire suasum habent, & intrinsecus concipiunt, in eum timorem, & iam dicta alia adduci censendi erunt. † Nisi dixerimus in alio casu: cum videlicet animosè deponunt; id ex veritatis prodire munimine intelligi posse; ad eam quippè detegendam, cum etiam si scandalum euenturum sit, omnes insurgere, contendereque debeant, cap. qui scandalizauerit de reg. iuris, & optimè facit textus in capit. nemo peritorum. 11. quæst. 3. Sed his ita iactis, quid super singulis Nostri explicatius senserint ordinatè de more, ac breuibus dispiciamus.

12

13

14

Quoad primum, inuolutus, implicitus, siuè obscurus sermo in teste non parum reprobari intelligitur, ex textu in allegata. l. 3. §. ideòque diuus in versic. *& qui simpliciter visi sint dicere*, subaudias tu, *veritatem*, inducendo illum textum in contrarium, obscurum etenim testimonium pro non scripto habendum est, vt in l. de ætate, §. nihil, ff. de interrogato: actio, & in. l. 2. ff. de his, quæ pro non scriptis, & habes per Iacobum Aegidium in tractat. de testibus, sub num. 17.

Posset tamen in continenti qui ita perperam locutus fuisset se corrigere, & declarare, † vel etiam illum iudex pro suo officio, ad causæ dilucidationem interrogare, ex dispositione textus in. l. vbicunque, ff. de interrogato: actionibus, & notatis per Panormitanum, & Felin. in cap. cum Ioannes de fide instrumento: eundem Panormit. in cap. cum clamor de testibus; Nepotem de Monte Albano in tractat. de testibus, num. 78. & Mascard. de probatio. conclusion. 1242. num. 16. Vel denique illos repeti decreto præcipere; dummodò eam obscuritatem attulerint; quæ nullum congruentem sensum protenderet; Nam si diuersa ex ea exoriatur intelligentia, tunc secus ex Innocētij doctrina in d. cap. cum clamor, videas tamen notata per Campegium in tract. de testibus Regula. 390. & cōtra quem testis dictum obscurum interpretari debeat, apud eundem ibidem, in Regula. 299. & latius infra circa finem, & optimè per Mant. in Singul. 235, vbi videas.

15

Quoad secundum, sermo inconstans, & vacillans, ad huc non parum in testibus reprehenditur, & damnatur, vt in d. l. de minore, §. plurimum. ibi. *qua quis constantia, &c.* & facit optimè illud Tullij in partitionibus, dum inquit. *atque etiam incurrit in testibus, & quæstionibus ratio alia quadam. Sæpe enim ea, qua dicta sunt, si aut ambiguè, aut inconstanter*, Subsequitur. *Subtiliter reprehenduntur*, Cui respondent iura in d. l. prima, & 2. ff. de testibus, dum ibi dicitur. *Et ideò testes, qui aduersus testationis suæ fidem vacillant, audiendi non sunt*. qui enim ita agunt, pro ignorantibus habendi sunt, l. vltima, C. de condict. indebiti, & in l. 3. §. is qui nescit, ff. de libero homine exhibendo, & habes per Nattam in consil. 296. num. 3.

16

Nè tamen indiscussis terminis iactare hæc ipsa deprehendamur, notandum, tunc vacillare testem exaudiendum esse,

17

cum inter testificandum, dubitando, & timendo loquitur, vel quasi sibi parum constans penè balbutiendo, vt per Florianum in d.l.2. in principio, Bossium de testibus in titulo de tortura, num. 16. & 17. Alios plures allegatos per Iacobum Nouellum in allegato titulo Defensiones Reorum in constitutis num. 9. & Albericum in tract. similiter de testibus cap. 9. num. 3.

Et quia successiuè hæc ipsa eiusmodi esse intelliguntur, vt post exactum depositionis opus nihil existentiæ relinquant, quòd ad iudicis informationem in sententia dicenda sit reliquum; ac propterea euentorum, seu accidentium talium in progressu temporum immemor fieri iudex posset ex labili hominum memoria, vt in l.2. §. si quid in tanta C. de veteri iure enucleando, & in l. peregrè ff. de acquirenda possession. Vel etiam in officio successor ex rationabili vicissitudine obtinenti, penitus ignorare † idcirco illud interdum requisitum est, vt de contingentibus his in testibus accidentibus, quum deponunt, videlicet timore, titubatione, pallore, rubore, aut balbutienti depositionis modo, & parum constanti, ad perpetuam ius dicentis instructionem, memoria per causæ Notarium fieri, atque conscribi debeat, ex Bartoli intentione in allegato. §. plurimum numer. 3. Secutus est Florianus in d.l. prima de testibus numer. item. 3. Bossius in allegato supra titulo numer. 145. Solemniter Baldus in l. prima, §. si curatores, ff. de magistrat. conueniend. & Iunior Socinus in consil. 60. numer. 2. vol. 2. Abbas, & Felin. in cap. quoniam contra de probat.

18

19 Hæc ipsa præterea omnia, & quum in Reorum examinibus accidunt, ad sumendorum, vel sumptorum iam indiciorum robur, notanda esse in prædicto §. plurimum idem Bartolus sub numer. 4. censuit.

Maximè verò in testibus pallor, & rubor vicissim apparens notandus est, cum concepti timoris similiter signum protendat, vt ex Tullij ad Herennium citato loco colligere est, explicauitque Hyppolitus de Marsilijs in singul. 103. num. 2.

Quod verò accidentia eiusmodi in testibus notanda sint, facit, quod cum iudex testi etiam plenè deponenti ex causa fidem nullam præstare possit, imò debeat, non tamen temerè id per eum exolui poterit, sed causa in actis insinuata; aliàs enim in sindicatu ea non apparente, molestiam sentire posset, vt per Grammaticum in decisione. 34. numero. 47. & decisione. 92. numero. 24. & 25.

Quò tamen res vtiliter magis vltra ducatur, ex prædictis conclusio duplex manans subscribenda, & ponderanda est, † prima quidem erit, quòd per scripturam aliquam, aut quamuis instructissimum procuratorem ad perhibendum veritatis testimonium quis admitti non potest: Nam si hoc permitteretur; nec in personarum dijudicatione iudex ad sibi commissæ veritatis inquisitionem iudicium aliquod formare posset, minusue supradicta timoris, & inconstantiæ signa deprehendere; cum qui absens est, siuè per procuratorem, siuè per scripturam loquatur, nullo neque pallore, neque robore, aut alio mali animi, & corruptæ depositionis signo affici, deprehendique intelligatur, ac possit, vt benè facit textus in capitul. testes. 3. quæst. 9. habes per Nellum de testibus parte prima, numero. 96. & faciunt notata per Bartolum in dicto §. plurimum in principio, & de principali conclusione per Bossium in allegato titulo de opposition. contra testes numer. 87. Tyndarum de testibus capit. 10. numer. 13. Communem dixit Villalobos in libro communium opinionum, in verbo Testis numer. 107. & alios à me infra plenissimè allegatos in. 2. partis consideration. Vnica requisito 8. numer. 307. vbi videndum, & per Iuniorem Soccin. in consilio. 12. num. 21. volum. 2. & Aufrerium de reprobat. testium num. 94.

20

Secunda conclusio est; quòd iudex in criminum causis testium examinandorũ

21

audientiam committere non debeat, tùm ratione subingredientis maximi præiudicij; tùm etiam, quia supra exposita signorum in examinibus contingentiũ obseruatio, non sine veritatis confusione, & obtenebratione contra tàm sanctam præcalendatorum iurium dispositionem, & rerum publicarum fœdus, dispergeretur. Et quidem hoc iure aperto nimium legitur dispositum, vt in auth. apud eloquentissimum, C. de fide instrumento: dum ibi dicitur. *Nam in criminalibus testes apud iudicem repræsentandi sunt, & cum res exegerit, tormentis subijciendi*; & in d. cap. Testes, & cap. Hortamur eadem causa, & quæstio: habes per Schenchium de testibus num. 67. & 68. Lanfrancum ad cap. quoniam contra de probatio. nu. 19. vbi plenius in addition. Cyrillum in praxi in tit. de testibus §. 2. in versicul. iudici

22 enim data est facultas † vbi quòd hoc Regni iure non nisi pro senibus; & valetudinarijs datur; dic, vt per eum, & Nepotem de Monte Albano in tracta. de testibus, num. 80. Curtium item de testibus nu. 60. Angelum nu. 26. Baldum in praxi circa probationes, quæst. 9. nu. 5. Clarum in §. finali quæst. 26. à num. 30. vsque in finem, & quæ plura scripsi supra considerat. 1. circa finem.

23 Veruntamen est, quòd ob varias, multiplices, ac per hoc insustentabiles occupationes, quæ Magnæ Curiæ Criminalium Iudicum pectora præmunt, vt nec respirandi quidẽ, aut leuãdi animi gratia diuertẽdi parumper tẽpus suppetat, solẽt ab ipsis in singulis banchis approbatis scribis, qui ordinarij vocantur, examina commicti; Doleo tamen, si licet, quòd nõ solum in longinquis Regni partibus, sed etiam infra dictam commictuntur, quo casu ad Curiam testes vocari, adduciuè possent. Sed hactenus, saltem ad iudicantium instructionem per eos essent testium motiua describenda. At Deus scit, an hoc seruetur, libeat dicere amore Dei, & non ob aliam certè causam, atque in vulgari quidem sermone. *Tristo chi la leua*. Pace bonorum dictum sit, licet nostrum calamitate, perpaucorum, dic, vt latius in Regni constitutio: in pecuniarijs per Andream.

24 Quantum verò ad vltimum de depositionis ornatu, vti is in teste probari poterit? cum maximè instructionem, non bonam illam, de qua supra diximus, sed perniciosam, & calumniosam in eo designet: dum quasi persuadere velle deponendo pro ea parte, pro qua inductus est, animaduertitur, & sic ex perlata affectione minimè ei credendum suggeritur. Verba enim secundum Philosophum in præfatione in libros de Enunciatione, sunt notæ earum, quæ sunt in anima passionũ, & habes per Speculator. in §. 1. in versic. item quod est verbosus, num. 15. in tit. de testibus, & sequitur Striaticus in praxi Bononiensi cap. 16. num. 59.

25 Vbi verò quis animosè attestari deprehenditur, in idem vitium recidit suspitionis, & deficientis fidei, vt per Bossium in allegato titulo de opposit. contra testes nu. 25. & sequitur Striaticus loco citato, num. 57. quod ipsum dupliciter posse cõtingere, animaduertere est, & sic vel

26 quia † plenissimè locutus sit, multaque profuso sermone effuderit, vel quod sta-

27 tim non † aliter sibi lectis articulis, ex abrupto responderit, ac in producentis beneficium rem explicare conceptam, quasi partum editurus, inceperit, vnde maxima in eo ad causam affectio arguitur, vt per Loffredum in consil. 27. num. 25. & Hyppolitum de Marsilijs in l. pœna legis ff. ad leg. Cornel. de Sicarijs nu. 12. cum falsum dicere præsumatur, argument. textus in §. sed aliud. 5. quæst. 5. per quem ita arguit Romanus in Singu. 450. & Natta in consil. 31. nu. 17. † Vel ter-

28 tiò quia vltrò non citatus se ingesserit, examinique se obtulerit, nam similiter suspectus dijudicatur l. quæ omnia §. sed si aduersarius ff. de procurator. habes per Schenchium loco citato nu. 2. Rebuffum de reprobation. testium in Glosa vnica nu. 14. & in 1. parte Glosa 4. nu. 19. plenè per Mascardum de probation. conclusio. 1374. num. 2. 3. & 4. & conclus. 1317. n. 44. Marendam in consil. 49. num. 60. & Ceph. in consil. 170. num. 8. & Corneum in

in consil. 149. num. 20. vol. 2. & alios allegatos in Felin. repertorio in versic. Testis, qui offert se, & de modo articulandi Glosa. 3. §. 1. nu. 110. & 111.

Sed, & contra animosè attestantem faciunt notata in Capit. 2. de restitut. in integrum, & in Cap. accedens il. 2. extra vt lite non contestata, & Grammaticum in consil. 21. num. 14.

29 Succesiuè quantum ad secundū principale caput, & si in ore duorum, vel triū stare omne verbum in prima supra consideratione tum scriptura, cum vtriusque iuris dispositione probauerimus; tamen pro negotiorum, & personarum qualitatibus, legumque super inducto placito, in multis comprobandis vlterior numerus passim exigi deprehenditur. Quod ipsum, & si in contractibus, ac vltimis voluntatibus conficiendis, multis in casibus fuerit obseruatum; tamen quia non de scripturarum reprobatione in præsenti duximus pertractandum; cuiusmodi exempla plurima infra in 2. partis Consider. Vnic. in. 10. requisito retulimus; propterea de his tantummodo, quæ in iudicijs maiores probationes exigunt, quò iudicantes memoriæ consulant, putauimus quā breuissimè memorandum. Vbi etenim taxatum à iure testium numerum adhibitum nequaquam fuisse deprehendent, improbatum esse negotium perlatum decernere poterunt; non tamen omnino partem alteram absoluendo, iuxta textum in l. qui accusare, C. de edendo, & alijs suo loco vulgaribus allegatis, sed ab obseruatione iudicij tantum liberando.

Eò ergò, vt veniamus, considerandum 30 est ante omnia † quod & si instrumentorū, & testium in probationibus cōstruendis par ratio habita sit. l. in exercendis, C. de fide instrumento: Glosa in capit. cum venissent, in verbo testimonia, vbi concordantes allegat, de testibus, Menoch. de arbitrarijs casu. 63. num. 2. & Mascard. in conclus. 1244. nu. 15. & conclu. 1394. nu. 31 2. † tamen aduersus contractus, in quibus scriptura pro substantia requisita est à partibus, iuxta notata in l. cōtractus C. de fide instrumento: Regularis prædictus duorum, vel trium numerus aduersus eos non sufficit, cum per scripturam similiter contra probandum sit, † l. testium C. de 32 testibus, vel si scriptura nō habeatur, tunc quinque testium numero, eius vice, contra certandum erit, d. l. testium, habes per Afflictum in decis. 13. num. 26. & in decision. 105. Vrsillum in eiusdem decis. 39. Angelum in consi. 156. Bartolum in l. generaliter C. de nō numerata pecunia, Mascardum in concl. 1324. nu. 7. 13. & 14. & conclus. 983. num. 4. Minsinge. obseruat. Camerali 5. centur. 1. & D. de Franchis in decis. 384.

Erat enim satis naturale, quod eodem vinculo res dissolueretur; quo ligata fuit, & sic per scripturam alteram, vulgata l. nihil tam naturale, ff. de regulis iuris. Nè tamen probationum coangustaretur fa- 33 cultas, l. quoniam, C. de hæreticis † posse rem per equipollens adimpleri, fuit admodum rationabiliter receptum, & sic per numerum quinque testium spectatæ, qui opinionis, & fidei adducerētur, vt per Baldum in d. l. testium in versic. Tertiò nota.

34 Intelligendo præterea dummodo vniformiter de solutione ipsa attestentur, vt elicias tu, non sufficere, si duo eorum, vel tres de solutionis veritate deposuerint, alij verò ad complementum de eadem ex partis tamen confessione, non enim probarent, & si eiusmodi generis probationes aliàs cōiungi notatum sit, vt per Baldum in l. si quis ex argentarijs, ff. de edendo, Petrū de Rauenna in singul. 714. & alios allegatos per Mascardum in concl. 1118. num. 2.

35 Cur autem in proposito casu non coniungantur, ratio est, quia numerus quinque testium pro forma eo in casu exigitur; quamobrem, vniformis, esse debet, quales eiusmodi sic inducti nō esse exaudiuntur; nam duo priores, seu tres de naturali mutuo, seu solutione concludere, de numeratione ipsa attestantes intelligerentur, alij verò reliqui de ciuili, dum confessionem de allegata solutione absolutā anteferunt, vt per Mascardum loco citato nu. ij. quarè meritò reprobari poterūt,

habes

habes per Federicum Schenchium de testibus, num. 59. Iacobum Egidium in tractat. similiter de testibus, num. 44. & optimè per Loffredum in consil. 8. incip. Magnificus quondam num. 13. & consil. 27. incip. ex infrascriptis num. 5.

36 Multò magis rursus reprobandi erunt testes in illis casibus, in quibus necessariò ad probationem scriptura requiritur, vt in emancipatione, iuxta textum in l. vltima, C. de emancip. liber. & in l. in emãcipatione, C. de fide instrumento. & quid in assensu Regis, vide per Afflictum in decis. 398.

Secundò in contractu emphiteutico, ad cuius constitutionem, non est dubium scripturam interuenire debere, vti, & in cæteris iuris Ciuilis contractibus. l. 2. C. de iure emphit. & sic passim in alijs multis descriptis per Iacobum Egidium loco citato nu. 47. Nellum de testibus. 2. parte nu. 228. Quandoque tamen parte non opponente scripturæ vice, valere testium examen prosequitur D. de Franchis in decis. 278. & Loffredus in consil. 18. nume. 7. & 9. Quarè nè recipiantur, protestatio adhibẽda est; & casu quo admissi fuerint, etiam ab admissione appellatio, vt benè per Loffredum ibidem num. 10.

Aduertendo vlterius, quòd nunquam ad probationem necessario scriptura exigitur; nisi lex expresserit, aut eam specialiter partium exegerit conuentio, l. pactũ, quod bona fide C. de pactis per Glossam in l. contrahitur, ff. de pignoribus, & in capit. 1. de Censibus in 6. vbi 27. casus scripturam exigentes enumerantur.

37 Rem tamen prosequendo, huc insuper spectat, quòd olim proximus Sacrorum scriniorum in tempore alijs posterior non iure poterat locum ad priorem spectantem petere, & ad illũ admitti; nisi quindecim testium numero se laborum grauitate, & mole, quò eum in locum reponeretur, alijs digniorem esse ostendisset, vt in l. vnicuique, C. de proximis Sacrorum scriniorum lib. 12. Vndè si numero probasset pauciori, nihil, ac perperam agere intelligebatur, vt per Federic. Schenc. loco citato num. 63.

Ita pariter ad faciendum fidem de erogatione militaris annonæ decem tũc principales personæ iurare debebant, vt in l. per hanc diuinam, §. hoc etiam, C. de erogat. militar. annonæ lib. 12.

38 Præterea ad deponendum Episcopum Cardinalem septuaginta duobus testibus illum oportere conuinci, passim apud Sacros Canones receptum est, sicut, & ad alterum præsulem idem numerus exigitur. Ad depositionem præsbyteri Cardinalis sexaginta quatuor. Ad depositionẽ Diaconi vigintiseptem. Ad subdiaconi verò rursus depositionem, Accoliti, Exorcistæ, Lectoris, & Hostiarij non minor numerus septem, vt in cap. præsul, & in cap. nullam damnationẽ. 2. quæst. 4. prosequitur Nepos de Monte Albano in tractat. de testibus à num. 82. vsque ad. 99. vbi corruptè loquitur, & videas in d. cap. præsul, quia quoad presbyterum Cardinalem dicit de numero quatraginta quatuor testium.

Præterea licet regulariter amicitia per duos, vel tres testes probari possit, & sic inimicitia, vt per Baldum in l. errore num. 3. C. de testament. tamen vbi ex superuenienti inimicitia ad tacitam legati reuocationem deueniri prætenderetur, tunc quinque testium numerum ad eius comprobationem adhiberi debere, voluit Bartolus in l. hæredes palam §. si quid, num. 3. ff. præallegato titulo.

Successiuè vbi Episcopus se purgare velit per inductionem testium duodecim id ipsum procurare debet, vt in capit. omnibus. 2. quæst. 5. quemadmodũ, & in purgatione presbyteri septem requiruntur, & in purgatione Diaconi tres, vt in cap. si legitimi, d. 2. quæst. 5.

Sic pariter ad ingratitudinem contra feudatarium probandam quinque testibus agendum est, vt per Guidonem Papam in quæst. 180. Mascardum in concl. 761. in principio, & dixi latius infra in 2. partis consideratione Vnica requisito 10.

Sic pariter secundum Regni constitutionem ad conuincendum Comitem, si non duo Comites adhibeantur, quatuor Barones requirebantur, vel in Baronum defe-

defectum octo milites, vel in eorum defectum burgenses sexdecim. Contra Barones verò si duo alij Barones non adfuissent, milites quatuor requirebantur, & ipsis deficientibus, Burgenses octo, vt dicitur latius, & notatur in Regni Constitutione prosequentes.

Sic pariter ad fideicommissum in scripturam non redactum comprobandum, septem testes, vbi illud in testamento factum proponatur, exiguntur; si verò in Codicills quinque, iuxta numerum in dictis actibus respectiuè à iure requisitũ, vt per Bartolum in. l. cum proponebatur num. 3. ff. de legat. 2.

39 Insuper vbi de instrumenti reprobatione agitur, & si duo testes omni exceptione maiores testati sint; non per hoc instrumentum falsum esse statim iudex pronunciabit; sed prius animaduertet, an ipsi in instrumento, quod impugnatur, descripti fuerint, & num amici, vel consanguinei impugnantis, & si tales sint, an cum adhibiti fuerunt alteri contrahenti noti tanquam consanguinei fuerint, iuxta ea, quæ latè supra in. 4. consideratione scripta sunt. Nam descripti, & cogniti benè instrumentum conuellere poterunt, iuxta allegatos per Gargiarcum in cons. 126. numer. 16. inter consilia Criminalia Diuersorum Tomo, 1. & ibidem per Striaticum in consil. 117. num. 5. etiam quòd omni exceptione maiores non sint, vt per Nattam in consi. 95. num. 12.

Si verò in descriptorum numero nõ legantur, tunc secus, nisi alia adminicula concurrere iudex cognoscens animaduertat, iuxta latè tradita in d. l. in exercendis, & in d. capit. cum Ioannes de fide instrumento: quicquid tamen sit eos plurimum instrumento derogare in expedito est, vt prosequitur Campegius in regula 307. & alia sequẽti. 308. & habes aliquid per Nellum de testibus parte 2. num. 228. vbi quod aduersus instrumẽtum quatuor testes requirantur, & cur, & alia plura congesta per Mascardum de probat. quæst. 6. nu. 54. per plures sequentes; subicitque, quòd instrumentum per duos, vel tres reprobari poterit, nisi ex alijs viua voce cõfirmetur, in facti contingentia illum videas, & numeris pluribus sequentibus.

Sic pariter, & duo testes quoad dicta non possunt minori quatuor testium numero reprobari, vt habes supra in. 1. considerat. num. 65. vbi de ratione num. 66. Addas deniq; quòd in casu, quo probanda sit instrumenti redditio, quinque testibus probanda erit, vt per Guid. Papam in tract. de præsump. sub nu. 22. vbi videas.

Post hæc autem reperi Nouissimos in tractat. de modo articulandi innumeros casus, in quibus tùm minor, tùm maior testium numerus regulari prædicto sufficit, vel exigitur in Glosæ Vnicæ §. 2. à principio vsque ad num. 112. enumerantem, quarè pro reliquis illum ad tui libitum, cum res exiget, adire poteris.

40 Successiuè quemadmodum ex defectu numeri testium diximus reprobationem ex iudicis officio contingere posse; ita quoque per cõtrarium, si vltra numerum à iure communi, vel Regni ordinatione taxatum examinati testes fuerint; reprobari poterunt, vt in cap. cum causam de testibus, & in cap. licet de probat. & quantum ad Regni ius, habes in Pragmatic. de refrenatione testium, † qua super quo 41 libet articulo non posse testes plures numero septem examinari, cauetur expressim; ita tamen, vt quoad totam causam numerus quatraginta non excedatur, & ex causa iudicãti visa numerus quinquaginta, vt in Pragmatic. 49. & Pragmat. 51. sub titulo de officio Sacri Concilij, in Pragmatica Vnica in fine de procurat. & in dicta altera de testium refrenatione. † Licet alias communi iure hoc fuisset in iudicantis arbitrio positum; vt in l. 1. ff. de testibus.

Addendo prædictis, quod si iudex supra numerum alios non reiceret, posset pars altera petere super reiectione prouideri, & eo per iudicantem non præstito, tanquam grauata appellare, † vltra nu- 43 merum enim examinati nullo modo prodesse intelliguntur, argum. textus in. l. 1. ff. de his; quę in testamento delentur, & dicitur in additione post Cauensem in d. Pragmatic. Vnica de testium refrenatio:

per

44 per Consultissimum Rouitum. † Vnde pro cautela admonẽdi procuratores sũt, vt in examinibus construendis, meliores testes primo loco producant, examinarique faciant. Nam si repulsam patientes primitus examinantur, deindè verò omni exceptione maiores alij, qui extra numerum sint, non solum nec principaliter, seu directè producenti prodesse intelligentur sed nec etiam obliquè, vtputa quia nec ex his, qui extra numerũ boni examinati sunt, aliquid ad examinatorum intra numerum, reprobatorum fortasse, robur deduci possit. Tunc enim adiunctorum bonorum fauore aliàs inhabiles adiuuãtur, cum boni, qui sunt, ritè examinati efferũtur, iuxta allegata per Rebuffum de testibus, par 1. à nu. 47. vsque ad. 51. in Glosa 8. & nu. 59. in Glosa. 10.

Quantum præterea ad secundum caput præmissi secundi membri principalis considerandum est, vti & in initio operis proposuimus, Edictum de testibus prohibitorium esse; cum multiplici ex causa nõ omnibus perhibendi testimonij facultas pateat, prout ex antedictis iam ex parte

45 liquet, & ex subijciendis latè magis † idque, vt exploratè aliquid dicamus, vel negotiorum ratione, quia grauitatem quandam, aut arduitatem præseferant; Vndè in eis cautius agendum putatum sit, vt in l. 1. §. sed, & si quis, ff. de carbonia. edicto, vel ratione personarum, officio, vel dignitate aliqua præcellentium; vel ex iuris publici ordinatione, ob odiosa aliquorum in Republica facinora, contra quas, & ex qua, multum deduit non omnes admitti.

Et, vt à personis, quibus quoad hanc ipsam rem prospectũ est, quarumuè gratia ius omne constitutũ intelligimus, consultò progrediamur, §. vltimo institut. de

46 iure naturali † considerandum primò est; maximam esse, ac sanè præcipuam Clericorum apud Christianũ populum dignitatem; vti eorũ, qui in Domini sortem vocati sunt; quorũ primus ex electionis modo vt puta sortis extractione, eo nomine insignitus Matthias Dignissimus Christi Seruatoris Apostolus legitur: prout ex ipsa nominis nomenclatura consequimur, vt in capit. Cleros. 21. distinct. non congruum propterea existimatũ fuit, ad eorum redargutionem omnes pariformiter admitti.

47 Et primò quia Laici, nescio quo odio eos prosequantur; ea propter Laicorum aduersus eos non satis probatum legitur testimonium cap. veniens, il primo de testibus, & in cap. Laicos, vbi Glos. 2. quæs. 7. & maximè vbi non immediatè ad delicti comprobationem inducuntur, vt quia neque se vidisse, interfuisse, vel audiuisse, prout facti qualitas exigit, testati sint, sed super remoto aliquo indicio ad illud conuincendum deposuerint. Non enim ita à longè testantes contra eos indicium Laicos facere probatum est, latèque deduxit Mascardus in concl. 962. num. 5. secutus est Farinacc. de opposit. contra personas testium, quæst. 61. opposit. 13. num. 117. videas aliqua per Bossium de opposi. contra testes, num. 9. sed quòd indicium faciant, voluit Hyppolitus de Marsilijs in praxi Criminali, in. §. diligenter, nu. 132. atque præmissa protestatione, eos ad plenam probationem non sufficere, & prosequere, vt per Campegium in Regula. 98. & Clarum in. §. finali quæst. 23. num. 10. optimè tandem prædictis respondent quæ de inhabilibus testibus recipiendis supra notauimus considerat. 3. num. 45. vbi recurras.

48 Minus etiam contra eosdem probare membris mutilatos, & corpore vitiatos sentiendum est, iuxta illud, *à signatis caue*, vt voluit Abbas antiquus, in cap. 1. de except. Secutus est Hyppolitus in d. praxi in. §, nunc videndum nu. 52. quæ Sententia correctione digna Claro visa est, in vulgato, §. final. quæst. 24. num. 10. vbi videas, & limita, vt per eũ, quod de Laico non admictendo dictum est, vt nõ procedat in Ciuilibus negotijs, ex omnium sententia receptiori.

Quatenus verò Clerici contra Laicos probent, videndus est, Farinaccius de opposit. contra personas d. quæst. 61. opposit. 12.

Illd tamen hic fateri necesse est, quòd omnibus legitimè procedentibus, vt infra

suo

suo loco dicemus, plus credietur Clericis, quàm Laicis, iuxta notata per Menoch. de arbitrarijs Iudic. casu 98. num. 15. Iuniorem Socinum in cons. 31. n. 30. vol. 2. Alexand. in cons. 43. nu. 5. vol. 7. & D. de Anna in cons. 59. nu. 11. lib. 1.

49 Successiuè nō inferiori ratione Iudæorum contra Christianos non probatur testimonium; quasi quòd, & ipsi nos Christum dignissimè ad futuram gloriam sequentes, non paruo odio inuidentes prosequantur, vbi comminiscuntur tàm pessimè, & fœdè ab eo aberrare voluisse, diabolicèque emendationem parum procurantes aberrant; † quod, & de infidelibus omnibus, ac multo magis de hæreticis sentiendum est, vt in capitul. non potest, & in capitul. si hæretici 2. quæstio. 7. & in capit. Iudæi de testibus, habes per Nellum de testibus parte prima, sub num. 20. Aufrerium eod. tit. num. 58. Crottum 4. parte num. 57. & Io. Campegium in Regula 46. cùm infames sint, qui ea labe tenentur, sed an iure Codicis prosequitur Signorellus in l. cunctos populos C. de Summ. Trinit. & Fid. Cathol. nu. 9.

50

51 Sed hic dubitari ex eo potest, † quòd cum in iudicijs æqualitatem seruari oportere, præceptum sit; vt in cap. 2. de mutuis petitionibus, & alijs à me allegatis in tractat. de 1. & 2. beneficio, consider. 3.

52 Cur inter Iudæos quoad dicendum testimonium, ea non custodiatur? † cū constet Christianos quidē contra Iudæos admitti, ac benè probare, vt in d. cap. Iudæi, Iudæis verò non item cōtra Christianos; vt supra dì

53 Dicas, vt per Moncadam post Crottū in additione ad dictam 4. par. in littera S. † æquiparationem prædictam ad principales in iudicijs litigantes referendā esse; non autem in alijs, vt per Glosam in Clement. 1. de testibus in verbo iuri.

54 Benè tamē verum est; † quòd vbi in Iudæos Christiani consenserunt; quòd tunc admitti ipsi, & fidem facere poterunt, cū in eorum fide tolerentur, vt per Glosā, & Doctores in vulgata l. quoniā C. de Hæreticis, habes per Campeg. in d. Reg. 46. in fine, Glos. in l. si quādo C. de testibus, & Crott. in d. 4. par. n. 41. & ratio est, vt per eū, † quia quòd Iudæi Christianos contra testimonium non dicant, in nostrum omnium fauorem inductum est, & fauori vnumquemque suo, vbi ius publicum non lædatur, renunciare posse, vulgare est l. penul. C. de pactis, & alijs vulgaribus.

55 Quoad Hæreticos verò res multò amplius in expedito est; Nam licet primo loco ab Ecclesia tolerati fuerint, pro lasciuienti tamen, & satis grassanti eorū prauitate, illud contigit, vt ex ea infames declararentur, vt in auth. Gazzaros C. de Hæreticis, quo casu publico ex iure reprobantur, cui per partes renunciari non posse, vnde approbari intelligantur, pluries notauimus, & prosequitur Albericus de Maletis de testibus cap. 3. num. 6. & infra magis, de Iudæis verò cætera uideas infra in 2. partis considerat. Vnica requisito 3. num. 191. & in pluribus sequentibus.

56 Vilissimi prætered Artifices, & nimis conditione obscuri, nec satis testimonium dicentes authenticorum iure probari animaduertuntur, vt in authent. de testibus in §. Sancimus, vbi Glosator in verbo ignobiles. Non tamen omnes artificijs deditos reprobādos intelligas velim; † Cum inter eos triplici ex fonte

57 magnum sit notare discrimen, videlicet natura, artificio, ingenio, seu institutione. Eorum etenim imperant alij, alij subsunt, ac parent. Alij digniorem, viliorem Alij circa materiam versantur, Alij necessaria, voluptaria alij, ac propè damnosa ministeria exercent, † vt meritò propterea eorum iuxta conditionem, attestantibus illis Iudex defertè debeat, iuxta vulgarū, & à nobis satis exornatū text. in l. 3. §. ideòq. Diuus ff. de testi.

58

59 Eiusmodi generis enumerantur multi in titulo Nautæ caupones, & stabularij, &

60 multo plures apud Cyrillum in praxi Criminalium causarum in §. 1. de testibus sub num. 9.

61 Præterea his Rustici, qui Villici, seu Villani dicuntur, item Angarij, & Perangarii proximè accedunt; qui adeò efferæ naturæ spectantur, vt non multum fidei eis adhiberi oportere, fuit necesse existi-

matū cauere lege, tùm ratione personarū. Cū etiam grauiss, & arduorum negociorū respectu; vti supra latius commonuimus.

62 Ratione quidem personarum, † iam diu per Regni Constitutionem apud nos prouisum fuit, vt supra in allegata constitutione prosequentes videre est: Nè ipsi videlicet aduersus Comites, & Barones Criminali iudicio molestatos ad perhibendum veritatis testimonium accedere valeant, neq; etiam in Ciuilibus causis; videlicet in causa vnius Castri; omnium bonorum altera, vel maioris partis; nisi tamen in excrescenti numero inducerentur, vtputa contra Comites sexdecim, aduersus Barones octo, vt supra diximus.

63 † Imò si in minori numero adhibiti fuissent, & ex eis ferri sententiam contigisset, tanquam ex testibus à iure reprobatis lata, ea tunc retractari poterat; data tamen oppositione, vt supra considerat. 3. circa finem, & habes per Afflictum in capit. siuè Clericus numer. 10. in titulo qui testes sine necessarij ad probandam inuestituram.

64 Illud tamen sic omittendum non est, quòd, & si interdum viles testes efferantur, non semper excludendi erunt; satis enim tolerari debent, vbi contra multum diffamatos deducantur, vt per Afflictum in capitulo si quis rusticus S. publici latrones num. 13. de pace tenenda.

65 Insuper quia ad probandam nouam inuestituram pares requirebantur, extranei propterea inducti non probantur, nisi ad veterem comprobandam inducerentur, vt in dicto Capitul. siuè Clericus, vbi hoc numero 4. & 33. Afflictus notat & sic recepti illi à iudicante reprobari poterant, tanquam non admittendi, vt per Afflictum eò loci dicto numero quarto. Dicas tamen, vt per eum dicto numero 33. Sed de his non plura. Alij etenim casus à Solertissimo Iudice perquirendi erunt, quò suscepto oneri legitimè in cunctis satisfaciat; nobis enim satis esse existimauimus præmissos cursim explicasse.

66 Deuenio igitur ad Tertium principale caput, quòd ab ipsismet testibus expressa ex qualitate non parum iudicanti in rerum discretione lumen affert. Differt tamen hoc à supra expositis in præcedenti consideratione; Nam ibi de qualitatibus ex ipsis met testibus interrogatoriorum occasione expressis, locuti sumus; hic verò de his qualitatibus disserimus, quæ ab eisdem, aut in examinis ingressu, vel per totum depositionis discursum enunciantur.

67 † In initio quidem, vt cum se artificem esse, atque talem artem exercere modo digniorem, modo minus dignam, aut interdum penitus sordidam protestatur, vel se dicit eius Vniuersitatis Ciuem, pro qua deponit, vel Curiæ famulum, vel alterius producentis, aut eiusdem consanguineum, affinem, intimum Amicum, aut non receptæ in re testificanda, ætate. In corpore verò depositionis, seu eius transcursu; cum se inimicum eius contra quem producitur, detegit, vel excommunicatum, vel iudæum, Hæreticum, infidelem, aut alia ratione infamem, & sic de alijs paribus, quibus in casibus quanta fides eis præstanda sit; ex suprascriptorum præcalendatione facilè Iudex definire potest. Nam si hæc ipsa testibus, cum à partibus obijciuntur, & probantur, vel in totum, aut magna ex parte iuxta supra considerata derogare solent, eundem, & non impari ratione, effectum producent, vbi ex proprio testificantium ore prodierint,

68 † cum nulla maior probatio, quam oris proprij confessio esse credatur, vulgata l. cùm præcum C. de liberali causa, habes per Bartolum in l. decem ff. de verbor. obligation. & sequitur referendo Bossius in tractat. de testibus in sæpè citato titul. de opposition. contra testes sub numero 62. quæ sanè reprobatio tanti est, vt nunquam exclusa censeatur; vt per Decium in consil. 8. nu. 18.

Rursus, quia in initio de testium ætate præmittitur, omissis his, quæ de attestantibus impuberibus dicuntur, quam videlicet inducti ipsi fidem faciant, ac vti ratione parum consulti ingenij in diiudicatione rerum, & negociorum reprobentur, de qua re multa cōsarcire Docto-

res

res studuerunt in authen. Sacramenta puberum, C. si aduersus vendit. & præcipuè Iason, & in.l.3.§.lege iulia, ff.de testibus,& habes per Marsilium in.l.infans num.41.ff.ad leg.Cornel. de Sicarijs, & in vulgata.l.de minore num.22. & 23. ff. de quæst. Speculato.in titu.de testibus.§. 1.in versic. item quòd est num. 34. & Iulium Clarum in §.fin.quæst.24.nu.17.

Hic illud nobis dumtaxat notandum dabimus, quod si testes ad immemorabilem probandam inducti se viginti, aut triginta, vel infra quinquagesimum annum, aut parum supra ætatis esse dixerint; vtique reprobari à iudicante poterũt, planissimum cum sit, ad eam comprobandam inducendos testes non minores quiquaginta quatuor annis esse oportere, vt per Dominicum, & Ancharan. in capit. primo de præscription. in sexto, secuntur alij plures relati per Brunorum in vtriusque iuris Compendio resoluto. in verbo Testes, qui probare debent, & benè Dominus de Franchis in decis. 56. num.22.

Quæ omnia prædicta, & infra dicenda his addenda, & cumulanda sunt, quæ supra in interrogatoriorum materia exposuimus, ibidemque dicta huc pariter conferenda, nè bis idem contra institutum referatur.

Quæ verò dicta sunt, & si absque dubitatione recepta esse videantur, illud tamen Doctoribus dubitandi attulit occasionem, † vbi videlicet quis ex abrupto, & sic nulla sibi data, neque à iudice, neque ab Aduersario interrogatione; se inimicum eius, atque sanè capitalem, contra quem deponit, esse protestatur, aut infamem, & hoc ex textu in cap. inquisitionis §.3. dubitationis de accusation. maxima etenim contra eum suspictio esse intelligitur; ne ex eiusmodi reppellentis qualitatis propositione, se à dicendo testimonio subtrahere velit, vel producenti quoad testificata officere, sibi fidẽ adimendo.

69

70

Quare ea ex dicto textu prodijt conclusio, vt iuxta suprascripta credendum quidem ei sit; dum tamẽ ipse in fraudem, iuxta subiungenda, id non protulerit. Eã autem qualitatem tunc in fraudem eum detexisse intelligi potest; vbi æquè producenti ex causa sibi ignota inimicus fuerit, & fortasse maiori, secumque affirmando dicat. *Vindicabo me de inimicis meis cum inimicis meis.* Vel si adhuc examinatus non sit, velit sui inimici gratiam, ita refugiendo aucupari; quòd ex personæ leuitate argui potest.

Non minus etiam an in fraudẽ ea qualitas reuelata sit, colligi potest; si testis latitauerit, nè deponeret, ac deindè per vim, & carcerum præssuram ad examen perductus fuerit: secus verò si à parte amicabiliter; quod satis probari posse, vel debere reor.

71

Tandem quicquid sit, Marianus Socinus in dicto §. tertiæ dubitationis tres casus distinguere deprehenditur pro eius resolutione. Primus est, vbi ante iuramentum attestari refugiens, se eius inimicum, contra quem producitur, esse allegat. Secundus est, vbi post præstitum iuramentum eam qualitatẽ enunciat. Tertius verò est, vbi post explicitam depositionem eam allegari contingat.

Quantum ad primum, nisi fraus detegatur, ad testificandum admittendus non est, & omnimodò ex pestifera inimicitiarum conditione repellendus; vbi causam earum deducat; quæ ad capitales inducendas satis sit; Nam si leues essent, non item, cum testem nõ repellant, iuxta scripta in 4. considerat. in principio.

Quoad secundum; quòd nullo modo ei credendum sit; quia tunc ita asserendo; aut veritatem enunciat, quod verè inimicus sit, & partis accedit oppositio, & repelli debet, iuxta ea, quæ infra dicam. Si verò mentitur, quia videlicet non sit, & cum iurauerit dicere veritatem, mentiendo, efficeretur periurus, vnde à testimonio repellendus veniret.

Quoad tertium verò, & vltimũ; si incõtinenti eam qualitatẽ expresserit; quia ea à principio deducta censeatur arg. l. lecta, ff.si cert.petat. vtiq; ei credendũ erit; vbi verò post longum interuallum, & tunc

primæ depositioni præiudicare non potest, vt habes per Bossium in allegato supra tit.nu.64. Nellum in.1.par.sub n.19. & 20. Campegium in Regula 199.

72 Cæterum si se infamem esse asserat, ei ex recepta omnium sententia, omnino credendum est, vt per Innocent.in d.cap.inquisitionis. Nemò enim præsumitur, quod per calumniam denigrare, & negligere propriam existimationem velit; ad quam aliàs seruandam, augendamque homines à natura moueri, & quasi stimulis quibusdam ferè cogi, exploratissimum est ex his, quæ notaui in tractat. de Iudicæ Regni Dialogo 3. num. 119. & de primo in cap. nolo 12. quæst. 1. habes per Albericum de testibus cap.3.num. 61. & 62. & Nellum in d.1.par.num.19.

73 Intelligendo tamen in hoc vlterius nullam requiri partis oppositionem, vt in casu præcedenti enunciauimus; & propterea pro diuersitatis ratione, rem altius repetere studuimus; considerandumque est,

74 † quod aut reprobatio respicit fauorem eius, contra quem testes inducuntur, aut examinati sunt, aut ipsos producentes, aut legem, seu statutum pro iuris publici conseruatione aliquos attestari prohibens.

75 Quantum ad priores duas habitudines testium qualitates relatæ, & si testium depositiones in totum euertere, vel magis, & minus debilitare valeant; intelligendũ tamen est, vbi pars altera opponat; cum eiusmodi qualitates sint, quæ partium consensu supprimi possunt, & in nulla cõsideratione haberi. Sufficit tamen si tacitè oppositum sit, vt puta si dicat quis in comparitione, testes non concludere, etiã ex alijs ex eodem processu apparentibus. Nulla verò oppositione apparente; cum de qualitatibus præfatis ex eisdam actis liqueat, testes habilitasse, eorundemq; dictis consensisse partes intelliguntur, vt voluit Alexand.in vulgata l.4.§.hoc autem iudicium colum. 4. ff. de damno infecto; Butrius in capit. cum dilectus il 2. de cõsuetudine num.33. Alios relatos per Gomesium in Tomo 3. variar.resolut. capit. 12.num. 22. circa finem, Moncadam ad Crottum in 3. parte, in littera I.nu. 137. Afflictum in cap. Sacramentum de consuetudine recti feudi num.8. alios allegatos per Baiardum ad Clarum in §. final. allegata quæst.24. nume. 9. & habes per Follerium in clausula concedatur Repulsa num.25. quemadmodum, & de amicis in instrumentis consultò testibus adhibitis in secunda supra consideratio: meminimus, vbi videndum, & per Mascardum in conclu.1362.num.14.& benè per Alexand. de Neuo in consil. 6.num.3.

76 Quantum verò ad postremam illam ad legem, seu statutum relatam habitudinem; secundum quam infames omnes reici debere cautum est, aut receptos iam non probare, regulariter tamen intelligẽdo. Ampliando præterea siuè illi ex iure infames sint: siuè ex facto, vt in capit.testimonium de testibus, & in d.l.3.§. lege iulia, per Glosam in l.cassius ff. de senatoribus, prosequitur latè limitando Campegius in Regula 29.30.& 31.aliqua per Brunorum in Compendio in verbo infamis, Clarum in vulgata quæst.24.nu.13. & explicatè satis per Afflictum in capit. ex facto in titulo an remoueri debeant testes, qui pares esse desierunt numer. 18. Certè vt cũq; de ea labe, & vitio liqueat, & si nulla à parte protestatio, & oppositio facta sit, à iudicante repelli poterunt, vel pro reprobatis haberi, vt falsarij, fures, vsurarij manifesti, hæretici, excommunicati, & similes. Ea enim tunc reprobatio nulli priuatorum fauori; sed benè publico iuri nititur; vnde succedit iuris illa vulgata dispositio † quod, & si partes valeant proprio fauori renunciare; non tamen in aliquo publico iuri derogare poterunt, quod priuatorum pactionibus non subici constat, vt in l. si quæratur, ff. de testam. habes pet omnes communiter in d.l.quos prohibet, frequentioriq; calculo per Canonistas in allegato cap. intimauit de testibus Baiardum ad Clarum in d.quæst.24. nu. 144. Boerium in consil. 15. nu. 5. & Aretinum in l.ad testium ff. de testamentis nu.3. 77

Quod tu intelligas in omnibus his, qui ex aliquo crimine condemnati infames essi-

78 efficiuntur † vt apertissimè consequaris, legis reprobationem fortiorem esse reprobatione hominis tanquam ineuitabilem, vt per Bald. in consil. 454. volu. 1. & Crauettam in consil. 175. num. 6. Vnde est quòd iudex sui potestate illis deferre non potest, quòd & si receptissimum sit, vlterius, & Philosophi testimonio comprobatur, dum Rethoric. ad Alexandr. cap. 15. sic inquit. *Proinde absurdum esse dicemus, quibus legumlator non crediderit, iudices, qui secundum leges iudicare iurati sunt, testibus ipsis credant.*

79 Porrò inter infames excommunicati ipsi censi sunt; vbi tamen in contumacia per annum existentes incursæ damnationi medicinam quærere non curent, vt in auth. credentes, C. de hæreticis. Excommunicationem verò per se, & si nondum infamia ex anni lapsu cesserit, quem à testificando reppelle posse ex capit. pia de except. in 6. iam supra considerat. 1. deductum est. Distringendo rursus, quòd dictũ est, procedere in excommunicato maiori excommunicatione † non autem minori; maior enim excommunicatio † omnes actus legitimos in excommunicato subiungas tu, publicè, impedit, ac perimit, vtputa † iurisdictionis exercitium, testificationẽ, accusationis institutionẽ, & alia, vt in §. euidenter 3. quæst. 2. in capit. decernimus de sentent. excommunic. in 6. & in cap. licet eodem titulo, nec mirum † cum per eam excommunicationẽ non solum ab Ecclesiæ Sacramentis excludatur, vt in cap. engeltrudam 3. quæst. 4. ab eiusdem suffragijs generalibus, sed etiam à fidelium omnium participatione, & cõuersatione, vt in cap. sicut 11. quæst. 3. Alia eis vetita videas per Brunorum in compendio in verbo excommunicatus non potest, Bombinum in. l. si quis arbitratu ff. de verbo obligat. sub nu. 83. Rolandum in consil. 95. nu. 22. & 23. vol. 4. Nepotem de Monte Albano in tractat. de testibus nu. 43. Iacobum Egidium ibidem num. 9. Aufrer. rursus nu. 41. in vers. vidi tamen sæpè numero, limitationes plures prosequitur Campegius in Regula. 36. Alberic. in capit. 3. num. 33. Lanfran. sub num. 76. etium in consil. 522. & alios allegatos per Mascardum in conclusione 705.

80

81

82

83

70

84 Qui verò minori altera innodatus est, cum nõ excludatur, nisi à Sacramentorũ participatione, & communione passiua, & similiter ab eorum participatione, quæ ad ea percipienda dirigunt, vt quia nec electionis, nec assecutionis beneficiorum capax est, qui ea tenetur, vt in cap. si celebrat de Clerico excommun. excommunic. minori, meritò fidelium communicatione, & spiritualium bonorum participatione non excluditur, secũdum Glosam in d. cap. si celebrat in verbo iurisdictionis, & in cap. vltimo eod. tit. & consequenter, nec ab actu attestationis excludi poterit. quid autem anni lapsus contra excommunicatum importet vide textum in cap. Regni. Item statuimus, quod si contingat, & ibi notata per Nigrum in additione.

85 Successiuè ex testium depositionibus, eorum paupertatis, & diuitiarum qualitas elici solet; Nobilitas præterea, aut Barbaries, Dignitas, vel vitæ leuitas. Quæ omnia nõ parum in ipsis dijudicandis perpendenda sunt. Nam primò Clarum est plus fidei tribuendum esse diuitibus, quã pauperibus, plus nobilibus, quam plebeis, plus in dignitate constitutis, quam dignitate nulla corruscantibus alijs, plus denique antiquis, quam iunioribus, de quibus pro complemẽto ad eiusmodi caput, iuxta seriem, licet quam breuissimè differendum est.

86 Et primò quantum ad pauperes, ipsos idoneos testes non esse, quia faciliter in corruptionem perducantur, voluit textus in vulgata L. 3. ff. de testibus, in §. Sancimus in authent. eodem titulo ibid. *Aut diuitiarum*, & alijs in dicto verbo ibi per Glosam allegatis, & plenè prosequitur Mascardus de probat. conclu. 1159. † vbi quot modis quis pauper dicatur, aperit, & habes per Doctores in. §. sed, & propter paupertatem instit. de excusat. tutor. vel curator. late per Mantuam in suo Enchiridion lib. 13. cap. 319.

87

Differrè tamẽ pauperem ab inope, nec inter-

intermittendum est. Nan ops dicitur, qui nihil in bonis, seu opils habet, vndè sibi occurrentibus in necessitatibus cō surrecturum speret auxiliu, vt per Iasonem in l. si constante num. 46. ff. solut. matrim. & Mascard. loco algato nu. 17. pauper verò, qui aliquid quidem habeat, sed quod ad eius sustētationem nullo modo suppetat. Et in summa secundum subiectam materiam quem pauperem dici, non est obscurum infra in. 2. partis consideration. Vnica requisito primo numer. 41.

Sed quoad eos tandem, vt in re præsenti aliquid conclusiuè iactemus, quod eis Diuites præferantur, ad sensum patet, & habes per Menoch. de arbitrarijs iudicum casu. 69. num. 9. † sed an per se ipsi legitimi testes intelligantur, distinctione admodum laconica definiri potest. Quòd videlicet aut bonæ famæ esse † spectantur, & in dignitate positi, & tunc quòd eis deferendum sit, ratio dictat, & ex textu in §. vltimo institut. de suspect. tutor. vel curator. argumentum habes; potest siquidem in aliquo paupertas adesse, sine tamen eius turpitudine, vt tunc fermè, quū præter eius ignauiam, luxuriam, aut intemperantiam adest, & habes per Mascardum loco citato num. 24. &. 27.

88

89

Aut secundò malæ famæ ipsi, & parū honesti sunt, & tunc ex supra exposita ratione, nullatenus eis credendum erit, Aut denique neque bonæ, neque malæ famæ, & tunc quanta fides ipsis adhibenda sit, Cognitor Iudex arbitrabitur, vt voluit Natta in consil. 666. vbi quot modis quis pauper dicatur, persequitur num. 3. † Solet autem illis multoties de fide suppleri, vt puta vel quum ad alicuius probandam innocentiam inducuntur, vt per eundem Mascard. ibidem num. 30. vel si alios idoneos, legitimè tamen receptos, adiunctos habeant, vel si in numero plures, & plures adducti sint, vt per eundem Mascardum ibidem num. 28. & 29.

90

Quantum ad secundum nobilibus plus credi oportere, quam plebeis, & rusticis nemo dubitat, secundum Glosam in vulgata l. 3. ff. de testibus in verbo plebeo, & alios allegatos per Mascardum in concl. 1096. num. 5. † intelligendo, & amplificando siuè ipsi nobiles sint nobilitate supernaturali; hoc est ex sanctissima vita à Deo Summo Largitore eius inmēsissimis donis insigniti, siuè nobilitate naturali, secundum quam plures, & si humiles natiuitate, bonis tamen imbuti moribus, ac in humanarum rerum dispositione periti, ingeniorum felicitate alijs præstant, ac facilè imperant, siuè alia ciuili, quam ab eorum maioribus, vel ipsi pro occasione aliqua à Principe Ciuilis Dominationis possessore consecuti sunt, vti optimè prosequitur Ioan. de Platea in l. 1. C. de dignitat. lib. 12. num. 5.

91

Quæ conclusio præterea ampliari potest, etiam si nobiles numero pauciores essent, vt per Baldum in vulgata l. testium C. de testibus, & alios allegatos per Mascardum ibidem num. 9.

Amplia, & secundò, & si fœminæ essent, vt per eundem ibidem nu. 8. † Denique in eisdem parum attendi domesticitatis, & singularitatis vitium habes plenè per Crottum de testibus. 4. par. nu. 21. & 22. & part. 7. num. 142. & alios allegatos post eum per Moncadam in littera Y, num. 208. Sed ante quam diuertam exceptos eos nobiles apud bonum Iudicem velim, quos si se agere, & negocia tractare videres, certè illis parum honestos, & mediocres plebeos anteferendos iudicares, in nihilo, cum se ipsos noscere depræhendantur; de alijs verò dic, vt infra cap. vltimo.

92

Quantum successiuè ad constitutos in dignitate; licet pro eis plurimum præsumatur † tamen si pro Reo honestæ personæ, & bonæ opinionis testimonium dixerint, in quibus præterea suspictio aliqua subesse non posit, tunc ipsæ tāquam ad liberandum tendentes proculdubio apud circumspectum iudicantem anteferendæ erunt, vt per Mascardum ibidem num. 10. & 11. Sed vti hoc vlterius intelligendum sit, infra dicam, & facit text. in l. generaliores ff. de regulis iuris, & quod prosequitur Philosph. problemat. section. 29. num. 13. vbi videas, qui legem veram esse

93

esse Philosophiam, fortasse negas.

94 Tandem cæteris paribus, antiquiores testes in dubio iunioribus præferri debere, voluerunt Glosa, & Doctores in l. cum quid ff. si certum peta. notauit Curtius in tractat. de testibus conclus. 8. ubi alios allegat, & plenè prosequitur Mascardus in conclus. 1301. n. 4. & 5. Rolandus in consil. 49. num. 51. vol. 4. Et tantò magis, vbi simpliciter senes fuerint; quia videlicet in eam adducti ætatem, ex diuina miseratione, magis de futuro iudicio cogitare credantur, ac per hoc timidiores esse exaudiantur; magisque ad diabolicas fraudes vitandas parati, vt in capit. tanta 86. distinct. de alijs uerò eorum prærogatiuis, dic, vt latius exposui in tractat. de Iudice Regni Dialogo 2.

Possent, & aliæ magis vltra, ad instituti coronidem, in testibus qualitates ponderari; sed tamen satis sufficere excussas, arbitrati sumus, cum ex nostri proposito non aliud sit, quam cathegoriam quandam in testibus dijudicandis, Iudicibus effingere contemplandam; nõ autem particulares omnes casus enumerare, ac exactissima interpretatione prosequi; prout prænominati, Mascardus videlicet, & Farinaccius omnium maxime præstiterunt.

95 Vndè ad quartum, & vltimum caput properandum est, in quo iudicanti testiũ benè lectirandas, diligenterque excutiendas attestationes proponimus, quippè cũ in hoc opus omne, & labor sit, indèque potissimum in cunctis legitima dijudicatio pendeat. Et in eo sanè, qui summo digito, pro instituti ratione ad hæc ipsa currentibus consulere deprehendamur, 96 infrascripta, quæ formare libuit, Capita tractanda, excutiendaque à vigilantissimis Iudicibus, antequè eorundem oculos sternere proposuimus, vt & videant.

Primum an Testes iurati deposuerint, ac præuia citatione.

Secundò an legitimè iurauerint, vel deposuerint, hoc est, parte præsente, vel cõtumaciter absente, vel si Religiosi sint, cum Superioris licentia.

Tertiò an factum plenè narrauerint.

Quartò an depositũ sit generalis, vel spetialis.

Quintò an negent, vel affirment.

Sextò an per eos deposita, & testificata verisimilia, vel in verisimilia sint.

Quoad eos inuicem verò.

Septimò an per eũdem præmeditatum sermonem deposuerint.

Octauò an variauerint, vel singularia testimonia dixerint,

Nonò an sine ratione deposuisse comperiantur; & si cum ratione.

Decimò, & postremò, An perlata ratio ex rei natura, de qua agitur, vti apta negocio, & concludens probari valeat. Nam si quæ desiderantur cætera; ex Superioribus facilè pro omnibusda inquisitione deduci poterunt.

Quoad primum, institutam seriẽ prosequendo, clarissimum est, † Testes ante 97 depositionem tactis Sacrosanctis Euangelijs iurare oportere, vt in l. iurisiurandi C. de testibus, & alijs allegatis per Tyndarum de testibus part. 1. cap. 3. num. 2. & Aloysium de Albertis in sing. 231. quod an in Episcopis, & Sacerdotibus alijs procedat, videas per Schench. in tractat. de testibus num. 3. 4. & 5. † licet illud à par- 98 tibus remitti posit, vt in capit. tuis quæstionibus, & ibi per Glosam in verbo remittatur de testibus, & alijs citatis per eundem Tyndarum capit. 9. nu. 17. Vndè illud deducitur, eos non iuratos nullam fidem facere, † etiam si essemus in Car- 99 dinali, & alio magnæ Auctoritatis virò, vt in capit. cum olim in verbo quærendũ de priuilegijs, & ibi per Panormit. & in d. cap. Tuis.

Intelligendo secundò etiam si esset magnus Religiosus, vt per Cephalum in cõsil. 294. nu. 31.

Tertiò amplia; etiam si à Summo Pontifice rescriberetur, quòd ei credi debeat, vt per eundem Cephalum ibidem nu. 32.

Quartò amplia, vt procedat, etiam si Iudex liberam haberet in procedendo facultatem.

Quintò etiam procedere in causis Sũmarijs, vt voluit Bartolus in extrauaganti ad reprimendum in verbo figura.

Sextò

Sextò amplia, vt nec etiam ex testium multitudine talis defectus purgari possit, vt per Ripam in vulgata l. admonendi nu. 195. Tandem latius ampliando prosequi poteris, & limitando, vt per Crottum parte 7. in primis columnis, Mascard. in conclus. 1368. n. 5. 7. & 9. Bossiū in sæpè citato titul. de opposit. contra testes num. 81. Menoch. in quæst. 26. de arbitrarijs Iudicum, Cephalum in consil. 82. num. 49. & d. consil. 294. num. 29. & 30.

His sanè corrolaria, vt dicitur, sunt, quòd testis non iuratus, nec in criminalibus ullum facit indicium, vt per Gomesium in d. Tomo 3. variar. resolut. cap. 12. nu. 18. sequitur Hieronymus de Monte in lib. variar. quæst. cap. 20. nu. 15. & 16. & per Hyppolitum de Marsilijs in singular. 460. & hoc ea ratione; quia non iurati nō recepti esse intelliguntur, capit. nuper, & cap. fraternitatis de testibus, & habes per Raudensem de Analogijs cap. 38. nu. 92. & Crauett. in consil. 809. nu. 8. & 9.

Denique ex testibus non iuratis lata sententia in nullatis pessum abiret, vt per Afflictum in decis. 47. num. 3. vndè, & illud notatur, spectare, videlicet ad partes curare, vt sui testes iurēt ad euitandā prædicta, vt loquitur Cauensis in Ritu Curiæ 87. nu. 2.

100 Rem tamen principalem prosequēdo; non iuratum testem multipliciter accipere oportet; & primò; vbi nullo modo appareret, ex Notarij examinantis testatione iuramentum fuisse delatum; de quo videas per Baldum in praxi in suprà allegata quæst. 9. n. 1. & 2. Vt indè illud assequaris, eum sine dubio iuratū testem intelligi; quem iuratum Notarius sua testatione enunciauerit, prout communiter per Doctores affirmari, Alciatus attestatur de præsumption. Regula 3. præsumption. 13. nu. 4. & sequitur Villalobos in libro commun. opinionum in verbo Testis nu. 103. Quarè si delatum illud fuisse, monstrari non posset, vt extrinseca solemnitas non præsumeretur l. quæcunque §. vltimo ff. de pupliciana, & firmat Crottus loco citato num. 15. vbi quid si essemus in antiquis, in quibus solemnitates præsumi solent; num. 16. de non citatis verò dic, vt supra nu. 28.

101 Quoad secundum; cum testibus ea ratione iuramentum deferatur, vt eius timore, quo Auctore iuratur, sine tergiuersatione veritas in lucem prodeat, cap. de testibus extra eod. titulo, & in capitul. item iurisiurandi 4. quæst. 3. propterea illud ante omnia testi deferri receptum est, 102 † Nam si post depositionem iuraret, inualida esset attestatio; non enim præexposita ratio, qua ad eius delationem recursum fuit, locum habere spectaretur cap. hortamur 3. quæst. 3. pro quo 103 † tu videas hinc indè plenè allegata per Crottum in allegata 7. part. nu. 6. & 7. & quòd in oppositum firmare deprehenditur Natta in consil. 573. nu. 9. & per Auffer. de reprobat. testium sub nu. 44. versic. testis depositio, & Anton. de Trigon. in singul. 37. num. 5.

104 Vel præterea diceretur nō iuratus deponere; si iurasset quidem in initio, sed tamen non parte præsente, vel contumaciter absente, vt requiritur l. si quando C. de testib. §. Sancimus, & §. penut. in auth. eod. titulo cum alijs allegatis per Alber. de testib:s cap. 7. nu. 1. quo casu pro non iurato habetur, vt in l. qui per salutem ff. de iureiurando, & in Clement. Testibus ritè de testibus, à contrario sensu arguendo. Sed non iurato, vt supra non creditur d. l. iurisiur. & in l. solam C. de eod. tit. habes per Raudens. in tract. de Analogis cap. 31. nu. 107. Alserium in cons. 26. inter consilia Criminalia diuers. Tomo 1. & dixi plenè infra in 2. par. cōsid. Vnica, requisito 9. nu. 117. & magis vltra per Bartolum in l. vltima circa finem ff. de quæst. Hyppolit. de Marsilijs in cons. 8. num. 21. & consil. 15. num. 14. Mascardum in conclus. 1372. num. 2. & conclus. 683. nu. 14. Eundem in quæst. 5. num. 85. & 86. Afflictum, & Vrsillum in allegata decis. 39. nu. 5. & Gomesium in præcitato cap. 12. num. 18. & eundem Hyppolitum in Singular. 24. incip. Clarum est, & alia ad rem eiusmodi habes per Felinum in repertorio in vers. Testis examinatus parte non citata, & in tractat. de modo articutandi, in Glo-

in Glosa 3. §.1.n.61.& limitationem per Carrer. in praxi in §. circa igitur tertium nu. 30.fol.mihi 121.

Sic pariter nõ iuratus diceretur, si non in ea die, in qua vt iuramenta testium visurus quis compareret, citatus fuit, Testis examinatus fuisset; sed in alia longè postea succedenti, quia perindè esset, ac si parte non cõtumaciter absente fuisset examinatus, vt supra, vt habes per Rotam in decision. 15. de testibus in nouis. limitatur tamen non procedere si in citatione, iuxta consuetam practicam, fuisset additum cum continuatione horarum, & dierum sequentium.

105 Insuper, & ille non iuratus dici potest; qui die non iuridica iurasset. Iuramentum enim, vti actus iudicialis die iuridica præstandum est, iuxta ea; quæ supra consideratio. 4. numer. 41. diximus, & habes per Mascardum in dicta quæst. 5. num.90.

106 Sed, & ille tandem non iuratus deponere exaudiendus est; qui extra articulum attestari comperitur, seu attestasse detegitur; & hoc ex eo, quòd iuramentum illud de veritate dicenda super præsentatis articulis cõcludatur, quarè quicquid extra eos est, tanquam extra metam diffusum respuitur, vt in allegato capit. de testibus, habes per Bartolum in l. si duo §. idem Iulianus ff. de iureiurando, & alios allegatos per Nattam in consilio 96. num. 7. & plenè per Baldum in consil. 457. incip. factum sic proponitur vol.4.& per Mascardum in conclusio. 1371.num.1. & Aretinum in d. l.si duo, num.6.& Angelum in l.momentaneę numer.5.C. qui legit.person. vbi distinguè, vt per eum.

Quà autem pœna non iuratus testis, si falsum deposuisse, offendatur, feriendus sit, prosequitur Gabriellius in tit.de maleficijs conclus.5.n.17.& 18.& insumma, quòd non ordinaria; sed stellionatus extraordinaria altera multari possit, cõcludit,& rectè; videas tamẽ notata per Bald. in consil.106.vol.1.

Quantum verò ad postremum dictum secundi capitis † Clericos, cęterosq. Religiosos non probare, si sine superioris licentia deposuisse contigerit, voluerunt multi per iura in capitul. super prudentia §.potest, vbi Glosa 14. quæst.2. & capitul. 1. de iuramento calumniæ. Contra verò, quòd imò valeat emissa attestatio: sensit Ebolitanus in Ritu Curiæ 144. & Farinacc. de opposition. contra personas testium, quæst.61.opposit. 12. num. 84. & dixi infra in 2.partis considerat.Vnica requisito 2. vbi suppleas tu; quod prima opinione supposita, vel ad effectum iuramenti obtinendi, vt ibi, de superioris licentia apparere debet; Nam aliàs de ea attestanti notario non crederetur; vti de iuramenti delatione dictum est, vt per Ebolitanum ibidem numero nono. Curtium de testibus conclusio. 49. in fine Farinaccius loco citato numer. 87. & latè per Campegium in Regul. 296. & 297.

107 Quoad tertium indubitata conclusio est; Testem non plenè deponentem non benè probare, vtputa si de tractatu aliquo inter duos habito quis attestãs, eius conclusionem omittat; quia videlicet, non subiecerit, quòd secundum tractatum illum inter eos tunc conclusum fuerit; & hoc ex eo, quòd à tractatu ad conclusionem necessario non inferatur; cum multa in tractatum adduci contingat; quæ postmodum non perficiuntur, vt in l. si ex causa §. nunc videndum in fine ff. de minorib.& in l. si voluntatem C. de rescindenda vendition. cum alijs allegatis per Nattam in consilio 29. numer. 6. Eundem in consilio 177.numer. item 6.consilio 131. numer.12.& consil.196. numer. 4. Vndè testis eo modo attestans benè informatus, & instructus de negocio non creditur; quo casu similiter eum non probare, voluit Glosa in l. lucius ff. de infamibus, & idem Natta in allegato consilio 666.numer.7. & Socinus Iunior in consilio tertio, numer. 35. volum. 3. Sed vt & Philosophos iurisconsultis adiungamus; de conclusionis veritate Testes attestari debere, voluit Auerroes in secundo Rethorico. Aristotelis capit. decimo octauo, & optimè per Afflictũ in

decision 375.numer.6. vbi videas.

Aliud sit exemplum, vt cum testis super assassinio deponens contra mandantem tantum dicat, taceat verò de mandatario; qui ad mandantem correlationem habet; clarum est enim eius minimè absolutam depositionem esse, vt per Bartolum in l.si is, qui rem la secunda, §. si tu titium ff. de furtis, & habes per Gabriellium communium conclusionum libr.7.in titulo de maleficijs, concl. 1.num.42.

Non minus mancam, & defectiuam esse eius Testis depositionem proloquemur, qui exhæredato filio commissam ingratitudinis causam per hęredem comprobandam inductus, explicet; sed de loco, & tempore eius; prout requiritur, nihil dicat, vt per Mascardum in conclusion.898. nu.10. quod tu, & in omnibus alijs casibus, in quibus locus, & tempus ad substantiam actus exiguntur, procedere intelligas, & conclusionem hanc accomodabis, & circa prædicta videas allegata per Riminald. in §. 1. institut.de donat.nu.248.

108 Ita pariter,& in eo casu respondendum esse videtur; vbi quis super mutuo examinatus, dicat quidem se mutuari vidisse; quæ autem quantitas mutuata fuerit, vel se ignorare declararet, vel penitus taceat; Sanè deminuta erit hæc attestatio: cum in pecuniæ numeratione, naturalis mutui substantia consistat: Vndè, & alibi diximus eiusmodi sic attestantem ad semiplenam non sufficere; & proindè nec ad suppletorium; licet, vbi plures eò modo deposuissent, secùs dixerimus in secundę partis posteriore parte circa finé, & habes per Nattam in allegato consil. 177.num.5.

109 Secùs verò si insimul cum his de quãtitate non attestantibus, alter testis de quantitate inductus, fuisset attestatus, vel alij de certa quantitate parum antè factum mutuum à mutuatario petita ab eodem mutuante deposuissent; nam ea quantitas cum effectu mutuata intelligeretur; & sic diuersæ ad idem probationis species eo casu coniungerentur ad plenam; dic, vt per eum ibi.

Sed, vt ad alia transeamus, huc pertinent, quæ in nona, & decima quæstione de rationis defectu in teste, vel perlatæ inualiditate adducentur; indè ergo petas.

Pro corrolario tamen hic omittendum non sit; quòd, & si testes semper concludere debeant; † maximè tamen id præstare eos studio habere oportet, vbi inuerisimilia deponunt, vltra quòd vt infra dicetur, omni exceptione maiores esse debent, iuxta allegata per Mascardum in conclus. 1370.nu.9. 110

111 Accedit etiam prædictis;quòd testium dicta extendenda sunt, tùm respectu testis, qui non satisfacit, si attestetur hoc modo: dico, prout Sempronius dixit, de quo per Tyndarum in secunda parte, de testibus capit. 10.num.4. vel si dicat, dico, vt supra dixi, & deposui. Tùm etiam ipsiusmet examinatoris respectu, qui similiter non debet in examine super pluribus articulis faciendo scribere, prout supra dixit, & deposuit, testis dictum breuiando, ex dispositione Pragmaticæ Regni, de qua memoratur sub titul. de officio Magnę Curiæ sub Pragmatica 21. etiam contra Fiscum intelligendo, vt per Eboliranum in Ritu Curiæ 235.numero 3. faciunt notata per Bartolum in auth. si quis in aliquo documento C. de edendo, & Iun. Socin.in cons. 12. n.19.vol.2.

112 Quoad quartum, conclusiuè loquendo, Testes in spetie rem comprobantes, vbi id exigatur, præferri alijs in genere enunciantibus, satis probatum est, ex Innocentij traditione in capit. auditis de præscriptionibus, cui respondet Philosophi dictum moral. Nicomah.lib.2.cap.7. quòd videlicet: *Sermones in generali sunt faciliores, in particulari sunt veriores*. Concinitq. potissimum altera apud Dialeticos iactata propositio;qua † ad interrogationem factam quid sit Petrus, congruẽtius per spetiem,quàm per genus responderi suggeritur, dicendo Petrus est homo, non autem Petrus est animal. Secutus est Natta in consilio 96. numero quinto. Eundem in consilio 362.nu.13.

& cons.

& consil. 458. numer. 4. & consil. 172. numer. 10. & 11. & habes per Curtium in tractat. de testibus conclus. 7. † Videas ibi per Nattam exemplificantem de comprobatione iurisdictionis in genere, & in spetie. Insuper, & de possessione plurium annorum in genere de rebus alicuius hæreditatis, & de possessione vnius petiæ terræ in particulari eiusdem hæreditatis, per Aduersarium habita, & de alijs. Quantum verò ad vlteriorem nostræ conclusionis comprobationem, facit optimè iuris Regula; qua dicitur. *Generi per spetiem derogatur*, vt in capit. generi de Regul. iuris in 6. habes per Gabriellium in commun. conclusio. lib. 1. in titul. de testibus conclusion. 4. numer. 73; Philippum Detium in consil. 448. num. 33. vol. 2. & alios plures relatos per Brunorum in Compendio in verbo Testibus duobus.

114

115 Successiuè quintum aggredior, † in quo ea ab omnibus sanè recepta regularis conclusio scribenda est, plus videlicet testibus duobus affirmantibus credendum esse; quàm mille negantibus, vt per Glosam in l. diem proferrè § si plures ff. de arbitris, allegatos per Curtium in tracta. de Testibus conclus. 25. Mascardum in conclus. 1370. num. 6. alios allegatos in consil. 168. inter consilia Criminalia Diuersorum, numer. 6. Tomo primo, Cyrillum in titul. de testibus §. 3. numer. 20. Nattam in consil. 283. numer. 4. Rolandum in consil. 93. volum. 4. Socin. Iuniorem in consil. 117. numer. 6. volum. 3. & consil. 88. numer. 28. volu. 2. & consil. 146. numer. 38. volum. 1. † Ampliando primò, vt procedat etiam si negantes numero plures essent, vt per Rolandum in dicto consil. 93. numer. 2. & 10. & quoad principale per Cassaneum consil. 64. num. 25.

Secundò amplia, etiam si digniores essent, vti voluerunt Panormitan. & Detius in capit. ex litteris de probat. Romanus in consilio 241. Corsettus in singular. in verbo Testis, & Mascard. in conclusion. 657. numer. 12. Dummodò tamen aptè deponant, vt infra in vltimò capite dicetur, & habes per Rolandum in d. consil. 93. nu. 7. de principali verò conclus. per Aretinum in l. hæredes ff. de testamentis nu. 3.

Ratio autem præmissæ conclusionis ea esse, suggeritur, quia videlicet affirmatio prior, firmior, & notior negatione sit secũdum Philosophum 4. Metaphysices c. 1. textu 16. & primo posteriorum cap. 21. textu 40.

Ea tamen ita posita multis in casibus restringitur, & primò, vt non procedat, † vbi negantes testes negatiuam deducant coarctatam loco, & tempore ad excludendum aliquod delictum; nam tunc virtute inspecta, affirmatiua, & negatiua à pari procedunt, & maximè vbi pro innocentia, & liberatione respondere comperiuntur; quo casu proculdubio præferendi sunt, iuxta Baldi traditionem in repetitio. l. data opera colum. 10. in vers. & notandum est, quod dici solet C. qui accusare non possunt, habes per Curtium in conclusio. 26. Cyrillum loco citato, & Aretinum in l. stipulatio §. eadem ff. de verborum oblig. nume. 42. & Alex. de Neuo consl. 21. num. 8. & optimè deduxit Philosophus problemat. sectio. 29. sub num. 13.

116

Quæ limitatio tanto magis locum habere intelligenda est, si cum negatiua sit pariter, & affirmatiua coniuncta, vtputa si dictum sit, quòd Titius per totã illam diem, seu noctem, in qua homicidium perpetratum supponitur, aut quid aliud simile factum esse, cum ipso teste steterit, vel dormierit, ac nunquã diuerterit, & si diuertisset, ipsum proculdubio vidisset, vel eius notitiam habuisset, vtputa quia claui stetisset porta conclusa, quæ per eum detinebatur, vel quòd præsens fuerit, nec tale quid fuerit factum, vt per Marantam in consl. 112. nu. 16.

117 Secundò limitatur, vt non procedat, quãdo affirmantes imperitia tenerentur; negantes verò per contrarium periti, & docti essent, argum. l. 1. §. 1. ff. de ventre inspiciendo, & sequitur Curtius in d. conclusio. 26.

118 Tertiò limitatur, vt non procedat,

vbi pro negantibus præsumptio aliqua adesset, & sic verisimiliora deposuisse deprehēderētur, prout facit textus, & quod ibi Baldus notauit in l. sed, & milites ff. de excusat. tutor. vel curat. habes per Curt. in conclus. 32. in fine, & alios allegatos per Mascardum in d. conclus. 1370. num. 7. de negatiua tamen, vt supra concipienda; vidè per Curtium in allegata concl. 25. num. 27.

119 Quartò, & postremò restringitur, non procedere, vbi super his attestatio fiat, quæ non aliquo corporis sensu; sed iudicio intellectus percipiuntur, vt per Mascard. in d. conclus. 657. nu. 13.

120 Quoad sestum caput, verisimilitudo in teste tantę efficaciæ credita est, vt multis prærogatiuis eniteat. Et in primis propter verisimilitudinē à regula receditur; qua dictatur, magis deferendum esse affirmantibus, quàm negantibus. 121 † Nam potius negantibus credendum est, vbi verisimiliora attestentur, vt in proximo pręcedenti capite expositum est.

Secundò verisimile attestanti regulariter magis creditur, iuxta multa à me allegata infrà in 2. part. consider. Vnica requisit. 2. nu. 87. & 88. etiam si verisimiliora attestantes minus digni essent, & numero pauciores, vt ibidem nu. 89. & per Mascard. in d. conclus. 1370. nu. 15. Curtium Iunior. in consil. 178. num. 2. 3. & 4. Socin. Iunior. in consil. 183. vol. 2. & alios allegatos in dicto consil. 161. numer. 27. & D. de Anna in consil. 59. nu. 12. libr. 1. & Bombinum in consilio 69. numer. 16.

Inuerisimilia enim, cum falsitatis pro- 122 tendant imaginem, iuxta ibi scripta; hi, qui ea deponunt, non parum falsitatis suspecti esse intelliguntur, vt per Curtium in d. concl. 32. & in d. cons. 161. inter consilia Criminalia Diuers. Tomo 1. vtputa, quum super non coarctata loco, & tempore negatiua attestantur, iuxta allegatos per Mascard. in d. conclus. 1370. num. 10. & est textus in d. l. 3. §. vltimo ff. de te- 123 stibus † vndè stante vno teste inuerisimile attestanti; iuramentum suppletorium illum producenti non deferri in 2. par. cōsider. Vnica in allegato 2. requisito retulimus, & habes per Mascardum in d. conclus. 1370. num. 5. & aliquid per Petrum Surdum in decision. Mantuana 231. numer. 17.

Inuerisimile verò quid, quod à testibus enunciatur, multipliciter effingi potest; & sic vel quia sensui, à quo omnis nostra pendet cognitio, repugnet; vel quòd frequentibus hominum actionibus contradicat, nec vulgus probet, siuè quia contractus naturæ non respondeat, aut communi, vel statutario iuri aduersetur. Vtpura si quis minor annorum triginta, aliquem, qui esset annorum septuaginta, semper à die suæ natiuitatis à se cognitū attestaretur pro insano, & fatuo, vt per Detium in consil. 448. nu. 24. versic. Tertiò, quia, & sic de alijs passim similibus, vt quia scripturæ publicæ contradicat, vt per Nattam in consil. 283. nu. 6.

Succedit septimum de his, qui præme- 124 ditato sermone loquūtur, quod ipsum nō modicam suspictionem communicationis adinuicem factæ, & conceptæ falsitatis arguit; vnum etenim auctorem, & negocij instructorem interuenisse præmeditatus ille sermo demonstrat; quasi quòd illius vniformia verba omnes imbuti ipsi, memoria subministrante, ad rei explicationem, afferant; atque attestantes effundant, vt in vulgata l. 3. §. ideòque Diuus, ibi *per eundem præmeditatum sermonem*, vbi Bartolus, Florianus, & Cæteri notant, habes per Detium in allegato cons. 448. d. num. 24. Socinum Iunior. in cons. 29. n. 20. vol. 2. Nattam in allegato consil. 96. num. 8. plenè per Campegium in Regula 224. Tyndarum in 2. par. de testibus cap. 10. num. 5. & alios relatos per Mascardū in conclus. 1374. nu. 6. & per Iunior. Socinum in consil. 183. n. 15. vol. 2. Imolam in consil. 134. Crauettam in consil. 795. nu. 13. & cons. 821. nu. 5.

125 Limitanda est tamen præcitata cōclusio pluribus modis, & primò, vt non procedat; vbi tractaretur de exprimēdis aliquibus verbis formalibus, Nam tunc, cū requiratur, excusationem præstat; dummodò tamen ex ratione rei, de qua agitur, & temporis diuturnitate, non sit in con-

contrarium argumentum, & sic quòd verisimiliter verba retineri potuerint, vt per Socin. Iunior. in d. consil. 29. n. 21. & 23. & Corneum in consil. 149. nu. 21. vol. 2. de principali conclusione habes per Mascardum ibidem nu. 7.

Vndè, & illud animaduertendum est, secundum receptam praxim apud Diabolicos scribas, & perfidos Iudices; quòd dũ tractatur de verbis iniuriosis, vel aliqua propositione facta certo modo dictis, vel sub certa verborum forma concepta, nè ex diuersa testium expressione, singularitas quædam diuersificatiua induci videatur, additur pro sale diabolico. hæc verba, & alia similia principales vicissim effudisse. Sed de his hactenus.

Secundò limitatur non procedere, vbi qui eo modo attestati sunt, integræ opinionis, & spectatæ nimium fidei essent; quo casu, eadem verba in eorum mentem venisse præsumendum est, interpretatione ea admissa, qua delictum excludi possit, vt per eundem Mascardum ibidem n. 8. vel denique si plures numero essent, & tunc ita Iudicis arbitrio existimetur; in quo dijudicando, illud plurimum valere, amplius probatum est, vt per Iun. Socin. loco citato, & Mascard. in d. conclus. 1374. num. 9. & 10. prosequere tamen, vt per Campegium in dicta Regula 224. Quarè, vt concludamus, longè præstat; quòd testes ad vnam rei conclusionem per verborum diuersitatem veniant, vt sensit Curtius in conclus. 5. de testibus sub nu. 18. intelligendo tamen in his casibus, in quibus verborum formalitas nõ exigitur, iuxta notata per Iunior. Socin. in allegato loco, dicto num. 21. & 22. ex Baldi traddit. in cap. bonæ il primo, 4. col. de elect.

126 Circa octauum preterea maximè iudicantis industria superinducenda est; cum variationis vitium adeò pestiferum in teste detectum sit, vt omnẽ in eò fidei substantiam perimat.

127 Aduertendo primùm; quòd testes inter se nequaquam varij censendi erunt, si eorum vnus plus alio in attestando effuderit, iuxta Glosæ, Antonij de Butrio, & Imolæ tradditionem in capit. super quæstionum de officio delegati, quos refert, & sequitur Curtius in tractat. de testibus conclus. 6. Dummodò tamen in modico contradictio perpensa noscatur, & habes per Bossium de testib. tit. 1. nu. 32. optimè per Socin. Seniorem in consil. 171. vol. 2. & Socin. Nepotem in consil. 62. num. 19. vol. 4. vtputa si de turbatione facta cum armis dictum sit, & alter quinque armatos interfuenisse dixerit, Alter quatuor, Alter verò tres. Nam nihilominus probare exaudiuntur ex eo, quòd in maiori summa minor insit l. 1. §. si stipulanti, vbi Doctores ff. de verbor. obligat. & in d. l. diem proferre §. indè quæritur ff. de arbitris, & facilè præterea euenire possit, quòd memoria in numero non consistat, quarè tolerandi erunt, dum in principali facto omnes concordant, vti benè prosequitur Iunior. Socinus in consil. 146. nu. 23. & 24. vol. 1. & consil. 102. nu. 6. vol. 3. & Marsilius in l. furem C. de sicarijs numer. 19.

128 Verũ pro exactiori declaratione animaduertendum † præterea est; variationem in teste quadrupliciter contingere posse; distinguendo tamen vel si quoad se ipsum quæratur, vel respectu ad alios secùm examinatos. Quoad ipsum quidem tripliciter, & sic vel quia vnum extra iudicium, aliud verò in iudicio attestatus sit, vel secundò vnum in vno iudicio, & aliud in altero, vel tertiò, quia in vno eodemque iudicio, & examine diuersa locutus sit.

Quoad alios verò, vtputa cum aliud longe diuersum, vel oppositum à cæterorum inductorum testium depositionibus, is attestasse comprehenditur. priores duo modi; quia ad reprobationẽ ex partium industria procurandam spectant; nostræ huic cõsiderationi subijciendi nõ sunt; sed ad eorum declarationem, ad tui libitum adire poteris notata per Iulium Clarum in §. fin. quæst. 53. vbi plenissimè omnes casus distinguit, & definit, de reliquis igitur duobus iure in præsentiarum agendum.

129 Vndè pro faciliori captu præmittendũ est,

est, † dari discrimen inter variare, vacillare, & contradicere secundum Florianũ in vulgata l.2, de testibus nu.2. & Cyrillũ in tit. de testibus §.2.col.1.& 2. De Teste quidem vacillante, & quid vacillare sit, supra diximus, variare nunc, cætera prosequendo, ille dicitur, qui primò vnum dixit; deindè contrarium sinè aliqua rationis assignatione subicit, vt per Albericum in d.cap.9. de testibus num.1. Contradicere verò, qui simul duo incompatibilia attestando complicat, vtputa cum primò dixerit se tali die in tali loco, contractui alicui interfuisse, de quo quæritur; deindè in interrogatorijs fortasse se alibi eodem die fuisse subiungat, ac quòd in Ciuitate non fuerit. Vndè cohærere non possunt, quòd non fuerit in Ciuitate, in qua contractus initus supponitur, & quòd eidem supposito cõtractui præsens fuerit. Quarè merita ratione variãti huic fides nulla præstanda venit l. qui falsò, vel variè, ff. de testibus, & in l. eos, C. de falsis, habes per plures allegatos per Nattam in cons.32. num.13. Socin. Iun. in consi.189. num.11. volum.2. eundem in allegato consil.62. nume.4. vol. 4. & per Glosam in cap. cum Ecclesia in verbo vacillasse, de causa possess. & propriet.

Ratio autem reddi potest euidentissima, quia, cum debeat testis veritatem dicere; per admissam variationem ab ea penitus diuertisse intelligitur † cum veritatis ea conditio spectetur, vt diuersitatem aliquam non recipiat; sed vndique quocunque petatur modo, vna, & consonans sibi constet, l. si quis bona, §. si quis stipulatus, ff. de damno infecto. Quod tamen intelligendum est, † vbi variatio principale negotium respiciat, seu eius circumstantias cohærentiales; vtputa locum, & tempus, vt per Nattam ibidem num. 14. secus verò in non substantialibus, vt supra.

130

131

132

Limitando tamen nõ procedere restrictionem præfatam in testibus suspectis; Nam & ipsi, & si in non substantialibus variare comperiantur; nihilominus repellendi erunt secundum præallegatam Glosam in cap. cum causam in verbo tempore, & in d. §. licet in Auth. de testibus, & alios allegatos per Nattam in consil. 279. nu. 6. Alias enim frustra super inutilibus interrogatorijs eos interrogari posse responsum fuisset, vt supra dictum est, in consideratione quinta, num. 33.

133

Quantum verò ad contrarietatem, contrarijs testibus magis, & amplius credendum non est, quia falsum protinus deposuisse intelligantur d.l. qui falsò, & l. eos, & habes per Roland. in consil. 94. nu. 33. volum.4. & communem dixit Villalobos in allegato verbo Testis nume. 96. & per alios allegatos per Bruno: in compendio in verbo testes ad inuicem, & Soc. Iun. in cons. 41. num. 15. vol.2.

Quoad verò ad vltimum modum; Testes pro vna parte inducti, si varij fuerint, id est, quòd vnus vno modo dixerit, alter verò aliò, in substantialibus intelligendo; clarum est, eos non probare, vbi in rebus in indiuiduo comprobandis, eorum versetur attestatio l. vbi repugnantia, ff. de regul. iuris, & l. scripturæ, C. de fide instrumento, habes per Nattam in consilio 161. num. 9. Socin. Iun. in allegato cons. 146. num. 39. volum.1. & cons. 86. num. 23. volum. 2. Quæ reprobationis species ineuitabilis est, ac excludi nunquam potest, vt voluit Decius in consi. 8. num. 18.

Illud tamen in hoc benè probari potest; quòd vbi vnus pluribus contradicat; non omnes repellendi erunt; sed illius dicto intermisso, alio non pugnante, pluriũ attestationem diligens iudex in sententia dicenda amplexabitur, vt in cap. in nostra de testibus, & in vulgata l.3. §.1. ff. eod. cum alijs innumeris cumulatis per Iunio. Socin. in consil. 159. nu. 13. vol. 2. Dixi supra de rebus in indiuiduo, † quia videlicet in alijs in genere comprobandis secus sit; Nam valere plurium depositiones de diuersis, & varijs actibus ad vnum rei finem tendentibus concludentes, satis probatum est, & exemplificatũ in secundæ partis considerat. vnica requisito secundo, & habes per Nattã in cons. 274. nu. 18. Iunio. Socin. in consil. 90. nu. 10. vol. 2. & consil. 99. num. 12. 13. & 14. vol. eod. & Loffred. in consil. 27. num. 15.

134

In

135 In indiuiduo verò comprobando, quòd testes sibi contradicant, dupliciter contingere posse, considerandum est. Et sic vel quia ipsi diuersa locuti sint; quo casu in re non reiterabili nullo modo probare poterunt; quia in obstatiuam singularitatem incidisse dicuntur, & sic se inuicem tollere exaudiuntur, vti contraria attestãtes, quales pessimi contra Susannam conspirantes senes censi fuere d. l. vbi repugnantia, & habes per Iunio. Socin. in dicto consil. 86. nu. 16.

136 Vel rursus in re reiterabili, & similiter non proficient, quia singulares singularitate diuersificatiua esse dicentur, iuxta à me loco citato adducta, & habes in cap. Cum tu de testibus, Baldum in l. de quibus col. antepenult. in versic. sed nunquid si testes, de legibus, Curtium in cõsil. 36. & Nattam in cons. 245. nu. 2.

Considerandum tamẽ magis vltra est; quòd, & si maximè satagere Iudices debeant in variationibus testium eliciendis, quò veritatis fide cuncta regantur; æquè tamen ad eosdem in concordiam adducendos, contendendum putabunt; non solum quidem, vt à falsi pæna, & crimine liberentur; sed etiam, vt ad faciendum fidem prodesse possint, vt per Iun. Socin. in consil. 73. nu. 7. vol. 2. & cons. 69. num. 23. & consil. 125. num. 18. vol. eodem, & Aretinum in l. si ita stipulatus §. Chrysogonus nu. 6. ff. de verb. obliga. & Alberic. in d. cap. 9. de testibus nu. 31.

Et quidẽ multipliciter hoc ipsum præstare poterunt; vt puta per verborum interpretationem; Secundò per eorundem impropriationem; Tertiò per subauditos intellectus; Quartò ciuiliter; Quintò humaniter; Sextò, & vltimò secũdum cõmunem loquendi vsum verba intelligendo, & capiendo, vt habes per Iunior. Socin. in d. consil. 62. num. 18. vol. 4. Tyndarum de testibus capit. 7. nu. 6. 7. ac plenius in capit. sexto per totum, aliqua per Doctores in rub. ff. si cert. pet. & præsertim Zuccardum, alios plenè allegatos per Raudensem in tractat. de Analogis cap. 24. n. 29. & Loffredum in consil. 49. incip. dubium vertitur num. 9. & 11. Si verò particulares casus ad rem præsentem attinentes requiras, apud Crottum prosequi poteris latissimè prosequentem in 7. parte à nu. 145. vsque ad 162.

137 Quod si postremò constent quidem inter se testes pro vna parte inducti, & aduersentur alij pro aduersario examinati, ita, vt in scopulum impulsa veritas in lucem prodire non possit; Tunc qui eorum præferendi erunt diligens, atque peritus Iudex arbitrabitur, iudicium tamen iuxta suprascripta legitimè formabit, nè deterioribus, pro sui animi motu præstandã fidem secùm comminiscatur. quarè inter eos perpendet, qui plures, & qui pauciores, qui Nobiles, & qui plebei; an iuniores, vel antiquiores, an pauperes, vel diuites, an negent, vel affirment, an in spetie, vel in genere deposuerint, an plenè, vel diminutè; an verisimile; vel inuerisimile, an legitimè ad examen venerint, illudque compleuerint; an damnum, vel lucrum reportaturi sint, an considerabilem aliquam affectionem ad causam, ex consanguinitate, affinitate, societate, domesticitate, famulatu, causæ similitudine, & alijs habere deprehendantur, an cũ ratione deposuerint, anque ea vertenti negocio cõgruere videatur, & sic de alijs paribus; de quibus vsque ad considerationis calcem aliquo modo tractabimus, & habes per Philosophum Rethorico: ad Alexand. in allegato capitul. 15. vbi pulchrè.

Quarè ad nonũ caput deuenio; quod, & si cum tertio coincidere videatur; cum qui plenè factum narrare comperitur, rationabiliter satisfactũ narrare intelligatur; distinguitur tamen, vt aliud factum ipsum sit, aliud verò eius facti ratio. Vndè pro angulari lapide supponendum est

138 rationem † in teste eius depositionis animam circumferri, & illam, quemadmodum anima corpus, informare credatur, vt voluit Baldus in l. conuenticulam col. 4. in versic. item multo fortius C. de Episc. & Clericis, faciunt notata in vulgata l. solam C. de testibus, sicut, & legis animam eandem dicimus, vt per Bartolum in l. non dubium C. de legibus, &

Baldum

Baldum in l.si quis seruo C. de furtis. Et quoad testium depositiones creditur pertinere † ea tãtæ efficaciæ esse spectata est; vt si spetialis sit,totum dictum testis quãtumuis generale, ad se trahendo, & conuertendo, spetiale efficiat; si verò ipsa generalis sit; & dictum spetiale; illud pro eius qualitate ampliet, & dilatet secundum Baldum in vulgata l.testiũ, Decium, Ripã,& alios communiter in d.l. 1. ff.si cert.petat.Guidon.Papam in Singul. 962.num.2.& Singul.827.Iunior.Socin. in consil.30.num.13.vol.3.& consil. 29. num.5.24 26.& consil.38.num.7.vol.4. & per Rolandum in consil. 33.nume. 43. vol.4.

139

Ad quod præterea,& illud facit,quod dicitur † sine ratione attestantem, vt pecus deponere, quasi rationem; quam, vti homo, afferre possit, non agnoscat secũdum Baldum in l.edita in repetitio.parauina C. de edendo. Vndè, & eius depositio dicitur nuda, & indiscreta, iuxta allegata iura per Iacobum Egidium de testibus nu.19. ac propterea nequaquam ad probationem legitimam pertinens, maximè in Criminalibus, ex l.final.C.de probat.sequitur Marsilius in Singul.621. & Decius in consil.429.num.11.

140

141 Hinc etiam plures pro testibus cũ ratione attestantibus prærogatiuæ exoriuntur. Nam primò illam non adducentibus præferuntur, licet numero pauciores sint, vt per Nattam in consil. 362. num. 12.Mascard.in conclus.1375.num.61.& Hyppolit.in d.Singul.621.num.1.

Quæ conclusio sic recepta amplianda est, vt procedat etiam si rationem reddentes negatiuam extruere deprehendantur, ac non reddẽtes affirmatiuam; qui regulariter,iuxta suprascripta, præferri solent, & habes per Baldum in l.presbyteri C.de Episcop.& Clericis, quem sequitur Curtius in tractat.de testibus conclus.26.versic.quartò fallit.

Sic, & è contra,cum supra dixerimus; Negantes negatiuam coarctatam deducentes affirmantibus præferri; tamen ea limitatio adhuc restringenda est, vt non procedat, vbi super negatiua deponentes interrogati dicerent se nihil scire, vel super negatiua sui natura improbabili nullam rationem redderent, vt per Baldum in l. cum hi §. integra ff.de transactio. sequiturq.Rolandus in d.consil.93.numer. 5. & 6.

Sed, & si omnes præterea rationẽ reddiderint; aliqui verò meliorem deduxisse comperiantur, vtiq.& ipsi, ratione eadem, tanquam verisimiliorem, & magis instructam depositionem præseferentes, anteferendi erunt, vt per Decium in consil.301.nu.18.

Illud tamen in proposito, neque conticendum duximus; quòd ex dicto vnius testis sine ratione attestantis non intelligitur conuelli, seu debilitari alterius partis testimonium ratione munitum, in tantum, quòd ad suppletorium illud sufficere sibi poterit, vt in 2. part.consider. Vnica requisito 2. sub numero 143. deductum est.

Præterea licet regulariter in Teste ratio non exigatur, iuxta allegata per Mascardum in d. conclusio 1375. in principio; tamen in multis illam exigi, vulgare est, de quorum numero, nos aliquos pro instituti prosecutione, adducemus.

Aduertendum tamen est, quòd vbi ratio ipsa exigitur, adhuc omitti à teste potest, † vbi ex habita per eum facti narratione ipsa colligeretur, quasi illi admissa, vt per Innocent. in d. capit.cum causam de testibus, & alios relatos per Mascardum in d. conclus.1375. nume.55.intelligendo etiam si testis de ea interrogatus nõ respondisset; nam nec per hoc eius dictum subuerti posset;cum demonstratæ rei frustra adijciatur demonstratio l. 1. in fine.ff.de dote prælegata; etiam vbi se nescire dixisset; nam intelligeretur, vltra id, quod per extensum deposuit; & de primo habes per Bartolum in tractat.de testibus num.13.

142

Sed ad rem principalem decurrendo, primũm in Criminalibus causis ratio exponenda est,veluti in his,in quibus ex allegata l.final.C. de probatio.probationes luce meridiana clariores esse debent. Vndè in eis attestantes etiam non interrogati ra-

143

ti rationem reddere debent, vt per Salicetum in l.sciant cuncti C. de probatio.& alios allegatos per Mascardum loco citato num.47. † ita pariter nec ad Torturam illam non reddentes indicium facere intelliguntur, vt per Marsilium in praxi in §.diligenter num.29.& consil.20.numer. 47. & Mascardum ibidem num.54.

Fallit tamen vbi ad defensam deponerent, vt per Decium in consil.469.num. 5.& 10.& consil.54.nu. 5.

145 Secundò maximè reddenda est, vbi quis de nocturnis delictis attestaretur; Nam tunc quia ob aeris obscuritatem de facili oculorum sensus intercipi, & falli possit, ac etiam aurium, si se audiuisse dicat; pro ratione subijcere debet, quia ibi lumen erat, vel luna valdè lucebat, ita quòd vnusquisque benè videre potuit, prout ipse benè vidit. Vel si se audiuisse affirmaturus sit, quòd eius vocem satis notam habebat, & quòd eum inter mille loquentem facilè agnosceret ob assiduam cum eo habitam conuersationem, vt per Nattam in consil.18.num.17. Alios allegatos per Mascardum in conclus. 1391. num.25.& per Pollidorum Ripam in tractat.de tempore nocturno cap.57. vbi de teste de visu loquitur, & c.58. vbi de teste de auditu. dic, vt per eum plenius.

146 Tertiò idipsum locum habet, & in his omnibus, quæ non aliquo corporeo sensu; sed iudicio intellectus percipiuntur; qualia omnia sunt, quæ in ipso iure consistunt; quia eorum natura difficilis probationis esse censeantur, vt Dominium, Territorium, & similia. Quarè si testis 147 dicat † Titium Dominum esse fundi sempromani; non sufficit ei pro ratione dicere; quia scio, quòd sit Dominus; sed super eo rationem aliquam sensu perceptibilem adducere debet, ex qua, quòd in 148 iure consistit, argui possit † cum intellectus à sensu abstrahendo, faciat vniuersalitatem in rebus; & sic ab actibus singularibus, qui sensu percipiuntur, satis in iure consistens dominium probatur, vtputa quia viderit illũ in dicto fundo arare, seminare, fructus recolligere, & de illis plenè disponere; qui licet sint actus immediatè possessionem respicientes, tamen in consequentiam, & Dominium ipsum astruunt, atque effingunt, faciunt notata per Cynum in l. cũ res C. de probatio. Bald. in vulgata l.solam C. de testibus, Curtium in conclusio.36. Bossium in tit.de opposit.testium num.73. Bartol. in tractat. de testibus nu.6. Nattam in cons. 96. num.9. Cyrillum in praxi in titul. de testibus §. 2. in versic.dixi solam. Communem dixit Curtius Iunior in cons.150. num. 1. refert Villalobos in libro communium opinionum, in verbo Testis nu. 99. Nec sufficeret dicere, quia vidit, vt per Decium in consil.221.num.5.& Angel.in l.qui testamento §.veteres ff.de testament.

149 Quarto loco idem, & in attestantibus negatiuam locum habet; nam & similiter non interrogati rationem reddere coguntur, vt per Baldum in d.l.cum hi §. nihil ff. de transactio. sequitur Curtius in conclus.28. & firmat in d.conclus. 26. & habes per Rolandum in d.consil.97.allegato numero 6. & Decium in consilio 649. num. 10.

150 Quintò idem in teste de credulitate, cum alias sine ratione testans non probet, secundum Angelum in l. sciendum colum.2.ff.de verbo obligatio.& alios allegatos per Nattam in consilio 316.num. 9. vtputa quia rationem reddendo, dicat, ita esse iudicio suo, vt per Bartol. in tractat.de testibus num. 12.non enim ad decernendum in factis; sed ad ea discernenda, & distinguenda testes inducuntur, iuxta Bartol.traditionem in vulgata l. 1. ff.si cert.petat.Decium in consil.402.sub num.13.& alios allegatos per Archipresbyt.de Tutijs in sua alleg.5.nu.17.

Sublimitanda est tamen limitatio prædicta, vt non procedat, vbi Artium periti super his, quæ artis sunt, attestarentur; Nam nõ nisi pro iudicio ex ea peritia loqui possunt, eorũq; sententijs legum conditores facilè concesserunt, ac multò magis iudicantes accedere debent, vt in l.septimo mense ff.de statu hominum. Amplissima siquidem cum sit legalis messis, ac in fines omnium sciẽtiarum irrumpat;

ac omnium præterea exercitiorũ; nec fas sit leguleis omnium habere notitiã; oportuit respectiuè rerum cognitorum implorare iudicium, illique assentiri, non secùs ac sub vaga illa veterũ prudentia, ex Principis constitutione, Iudices in decernendo, veterum Iur. sconsultorum sententias, & opiniones sequebantur, vt in §. responsa prudentum instit. de iure naturali. Horum sanè in numero Medici sunt, obstetrices, Rustici quoad agriculturam, & alij similes, habes per Bartol. in d. tract. de testibus, & latè prosequitur Mascardus in dicta conclus. 1375. numer. 46. & Decius in consil. 489. num. 12. ex notatis per Doctores in l. 1. ff. de ventre inspiciendo.

151 Sextò principaliter idem in testibus de bona, vel mala fama attestantibus receptum est; nam & pro dicti validitate rationem reddere debent, vt per Innocent. in vulgato capit. cum opporteat de accusatio. & alios allegatos per Nattam in d. consil. 96. num. 8. Sic, & de alijs de furore, & sanitate attestantibus dicendum est, vt per Aretinum in l. in eo numer. 2. ff. de testamentis.

152 Septimò, & postremò, alijs dimissis; etiam in causis non exceptis, in quibus, pro regula, testem ad rationem reddendam non cogi supra diximus, ea reddenda erit; videlicet, vbi testis de ea fuerit à Iudice interrogatus; aliàs enim illã omittendo, non probaret, iuxta Innocentij placitum in d. cap. cum causam, & alios relatos per Mascardum ibidem num. 49. & Campegium in Regula 192. vers. sed fallit 1.

Sed quia, quoad vltimum paria sunt, 153 nullam rationem reddere, quum reddi debet, vel reddere; sed non sufficientem; vel inutilem, l. non putauit §. non quęuis ff. de bono. possess. contra tabulas; † Cum 154 protinus testis dictum euanescere intelligatur, vt per Innocen. in d. cap. cum causam, & Mascardum in d. conclus. 1375. num. 59. & 60. propterea ad eius explicationem, pro coronide aliqua adscribere studuimus. † Vndè diximus ratio-155 nem ad se dictum testis trahere, ac insufficienter eam redditam inefficax illud efficere, & sic ampliare, & restringere, cum in spetie, vel in genere redditur l. quod dictum ff. de pactis, & in l. cum pater §. dulcissimis ff. de legat. 2.

Principaliter autem huc ea repetenda sunt, quę explicatè nimium in præcedentibus aduertimus. † Tunc videlicet aptã 156 proposito negocio rationem reddi, cum per sensum negocio magis congruentem construitur, exphantasia enim, & imaginatione deducta minimè probari potest, vt infra, & maximè Aristotelis sententia attenta; qui in dijudicanda veritate sensum menti prætulit. Quarè in delicto occisionis, verberum, & alijs, quæ corporali aliquo actu perpetrantur, per oculorum sensum ratio aptè magis construi intelligetur. Delictum verò, quod verbis committitur, vt Blasphemiæ iniuriarum, maledictionis in Principem, & similium; congruenter magis per sensum auditus † vndè est, quòd de promissione 157 facta attestantes; si rationem reddendo, dicant, quia viderunt; non rectam dicere rationem ad fidem faciendam intelligentur, iuxta allegata per Mascardum in cõclus. 1244. num. 12. quamuis Bartolus ex intentione Iacobi de Arena aliter sentire deprehendatur in tracta. de testibus num. 16. & 17. ex eo, † quòd sẽsus visus videa-158 tur etiam quòd ad auditum referri possit; cum de facili qui aliquid videt, valeat simul quæ circa illud accidunt, conscius exaudire, cum videre sit verbum æquiuocum iuxta plures allegatos per Raudensem in tractat. de Analogis cap. 30. nume. 288. vbi ex Philosopho quòd de vndecim rebus per sensum visus commodè attestatio fieri possit; videlicet, de pulchritudine, luce, tenebris, colore, corpore, figura, remotione, propinquitate, motu, & quiete. Sunt quippè oculi inter sensus perfectissimi, & ad cognitionem necessariò pertinentes, secundum Philosophum; cernitur siquidem in eorum sensu magna animi vis.

Tu verò poteris distinctionis fœdere 159 rem concordare, & sic quòd aut quis simpliciter se fuisse præsentem dixit; & tunc quòd

quòd ex inepta, & inefficaci rationis conceptione eius dictum non valeat. Aut verò ultra aliquid addidit; ex quo vti præsentem eum exaudire potuisse colligatur; & tunc benè probabit, iuxta Baldi doctrinam in d. cap. cum causam column. 7. in versic. quid si dicit, interfui. quo casu illa interessentia magis opportuni sensus exercitium denotat, vtputa auditus, & illi adiuncta præsentia omnem corporis sensum significat, per text. in vulgata l. testium, quòd, & ibidem prosequitur Mascardus nu. 14. & optimè facit argumentum ab ethimologia, cum præsens in re aliqua dicatur, eò quòd præsensibus illam habeat; vt in l. eorum ff. de verbor. & rerum significat. & faciunt notata in l. 1. in fine ff. de authoritat. tutor. & in l. diē proferri §. stari ff. de arbitris, vbi tamen à lege de præsentia memoratur, semper intelligentia includitur, vt voluit Imola in l. hæredes palam num. 2. ff. de testament. vt secùs esse in dispositione hominis intelligas ex prædictis, quæ ipsa tu multò magis considerabis, cum per alios testes de aliquo cōuincendo agitur ratione præsentiæ; nam potest esse, quòd quis præsēs fuerit, ac videre, & exaudire potuerit, & nihilominus, nec se vidisse, vel audiuisse recordetur, & hoc ex eo: quòd eius tunc communis sensus, & imaginatio aliorsū diuerterint, nec à particulari sensu, vti ab eo formaliter distinctus rem acceperit qui communis dicitur, quod prosequere, vt per Cepollam in consilio 60. incip. super primo dubio num. 13. & 14. vbi plenè de hoc, ibi videas.

160 Vndè, & illud pariter in hac ipsa re non insulsè probatum est; quòd quandoque in redditione rationis sēsus ipse actus conticeri potest, & sufficit, si per aliquid aliud exprimatur; quòd verisimiliter illum importare, & includere posset; vtputa cum quis de bona, vel mala fama; de diuitiis, & paupertate alicuius, aut exercitio attestans, † pro ratione dicat; Scio, 161 quia vicinus, vel consanguineus. Certum est enim, quòd ex recepta iuris præsumptione, iste vti vicinus attestans potuit, ex gestis mores comprehendere per sensum visus, quemadmodum, & diuitias, & paupertatem, & alia eiusmodi, sic pariter, & ex loquela; cum assiduè illum exaudierit, ac vti consanguineus assiduè quoque conuersatus sit, l. octaui ff. vndè cognati l. si vicinis C. de nuptiis, cū aliis plenissimè cumulatis per Doctores in d. l. 1. ff. si cert. petat. Gabriellium de præsūption. conclus. 6. num. 1. Bartol. in d. tract. de testibus num. 14. Bouerium in Singul. in verbo testis num. 29. & aliquid per Iunior. Socinum in consil. 73. n. 8. vol. 2.

Sed quia hæc ratio in multis ridicula 161 deprehendi posset, vtputa, cum de probando aliquam coarctatam negatiuam tractaretur; quia homicidium fortassè quis non commiserit, & dicat, scio quia vicinus, vel consanguineus; vtique non concluderet; cum, vbi tale delictum commissum fuit, illud eum vidisse non concludat. Propterea distinguendum esse videtur, secundum Alexandrum in d. l. 1. quòd aut testis dicens, quià vicinus, vel consanguineus deponit super negociis, quæ habent tractum temporis successiuum; vti sunt bona, vel mala fama, diuitiæ, & paupertas, possessio, & exercitium, amicitia, & inimicitia, infirmitas, & valetudo bona, & alia eiusmodi, & procedat, quæ supra exposita est sententia † ita, & taliter, quòd cum ex approbata præsumptione, vicinus vicini facta scire præsumatur, si vnus super incidenti paupertatis dixit; quia vicinus benè scio, vtique illum producenti, ex aliorum defectu, posset in supplementum iuramentum deferri; licet Iason, & Alii in dicta l. admonendi colum. 77. ff. de iureiurando Contrarium senserint, & Bald. in cap. 1. in §. si res, in versic. vndè testes in titulo de pace tenenda, & ex eo, quòd præsumpta probatio dicatur, quam ad semiplenam non sufficere, est indubitatum, dic, vt per Doctores in d. l. 1. & latius per Gabriellium loco citato num. 38. & 48. quo ad rem tamen nostram, vlterius inquirendum est, an sit vicinus nouus, vel antiquus. Cæterùm si sumus in his, quæ per momenta fieri, vel tractari, aut committi possunt; tunc secùs, quia potuerunt, dum

ipsam planam esse debere, & facilẽ; nam si per astrusa, & difficultates intellectus construatur, tota depositio obscura, & difficilis efficietur, & habebit locum, quod de testium obscuritate supradiximus, & habes per Bald. de Perusio loco citato, num. 10. Bouer. in verbo testis, in singular. nu. 15. Guido. Papam in singul. 448. num. 1. post singul. Matthesilani 102. num. 3. &. 5. & Iunio. Soci. in cons. 12. num. 4. volum. 1. Exemplum effingi potest, vbi Testis super consanguinitate deponens diceret, scio, quia sum consanguineus. 170 † Nam cum consanguinitas iure definiatur; qui præfatam rationem redderet, per iuris verba deponere intelligeretur; quod non probatur, 171 † cum ad verba facti testes recurrere debeant secundum Panormit. in cap. licet ex quadam in vers. ego simpliciter inhæreo, de testibus, Decium in d. consil. 402. num. 13. versic. quia testis, qui dicit, & in consil. 320. num. 9. Guid. Papam in Singul. 340. §. 2. & prosequitur Campegius in Reg. 305.

172 Quarè perfecta ratio ex graduum cõputatione deducenda est, attento communi stipite, vt latius per Decium in consil. 524. num. 2. 3. & 4. & habes per Vrsillum in addition. ad Afflict. decis. 25. numer. 2. & 3.

Accedat tandem prædictis, quòd nec per statutum induci potest, vt testi malam rationem adducenti credẽdum sit, vt voluit Anton. de Butrio in cap. 1. de appellat. & secutus est Campeg. in Reg. 194. Baldus in l. si non speciali in fine C. de testament. Decius in l. quæ dubitationis ff. de regul. iuris, & Felinus in cap. cum causam col. 10. de testibus. 173 † Vndè nec Iudex, qui liberam in procedẽdo potestatem haberet, intelligendo de iure, & de facto, eidem credere posset, iuxta Baldi traditionem in vulgata l. solam C. de testibus, & habes per Campegium loco citato, & hæc pro aliqua studiosorum instructione, ad Dei laudem deduxisse satis sit, ac Virginis Deiparæ, Beati Francisci, & aliorum patronorum.

EORVM

EORVM, QVAE IN HAC PRIMA parte tractata sunt; tàm Verborum, quàm Sententiarum, ordine Alphabetico digestus, & absolutissimus Index sequitur.

B

C

Cer.

Deme-

Inter-

Obit-

O

P

Pra-

Publi-

Repulsa

Fallit,

S

V Semi-

T

Testes

Testibus

Laus Deo, ac B. Mariæ M. & M.M.

REGISTRVM.

✠ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V.

Omnes ſunt Duerniones, præter ✠ quæ eſt Ternio.

Imprimatur.

Petrus Antonius Ghibertus Locumtenens.

Romulus Cerr. Secr.

Rutilius Gallac. Can. dep. vidit. regiſt. fol. xvj.

Don Raphael Raſtellius C.R. dep. vidit.